AUTHOR:
SCHULTZE, PAUL

TITLE:
DE ARCHAISMIS SALLUSTIANIS . . .

PLACE:
HALIS SAXONUM

DATE:
[1871]

Master Negative #

93-81698-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87SD
Z61 Schultze, Paul, 1843-
De archaismis Sallustianis; dissertatio inauguralis quam... publice defendet auctor Paulus Schultze... Halis Saxonum, [1871]
83 p. 21½ cm.

Thesis, Halle, 1871.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/25/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: De Archaismis ...
Schultze, Paul

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: _____

_____ Volumes(s) missing/not available: _____

✓ Illegible and/or damaged page(s): T P

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: _____

_____ Bound out of sequence: _____

_____ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: _____

_____ Other: _____

BEST COPY AVAILABLE

DE

ARCHAISMIS SALLUSTIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS
DIE XX. M. IUNII A. MDCCCLXXI.
HORA XI.
IN AUDITORIO MAXIMO
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULUS SCHULTZE
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
PAUL VOGT, STUD. PHIL.
RICHARD MAHRENHOLTZ, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.

INDEX RERUM.

PRAEFATIO.

Etsi iam ante me multi viri doctissimi de genere dicendi Sallustiano recte diligenterque disputaverunt, quaestionem illam, quae ad totam orationem adumbrandam apta utilisque videtur, cum satis accurate tum continua explanatione nondum motam vidi. Gerlachius enim qui in editione sua maiore de sermonis Sallustiani proprietate egit, tamen ad usum archaismorum in singulis tantum et dispersis adnotationibus respicit. Huc autem accedit, quod is etiam multa communi usu latini sermonis recepta in archaismis numeravit, alia parum accurate, immo leviter disputavit. Praeterea plures res ut orthographiam recentiores grammatici acutis explorationibus emendarunt. Quare operae pretium me facturum putavi, si recentissimis laboribus ad auxilium adsumptis hanc rem peculiari dissertatione tractarem.

Neque vero quisquam me tantum coniurationem Catilinae et bellum Jugurthinum et historias, quantum quidem ex fragmentis, quae exstant, cognosci potest, respexisse vituperabit, cum cetera scripta sub nomine Sallustii tradita iamdudum esse subditicia exploratum habeamus (cf. Jordan „de suas. ad Caes. sen. de rep. inscriptis").

Si autem non omnia, quae ad rem propositam pertinent, comprehendero aut in aliis rebus longior fuero quam necesse

erat, aut in aliis invitus in errorem incidero, veniam a benevolentissimo lectore me impetraturum esse confido.

Sed etiam viris doctissimis Cortio, Gerlachio, Kritzio, Dietschio (ed. 1843, 46), Fabro, Herzogio, Jordano, qui et de emendatione et interpretatione librorum auctoris nostri praeclare meruerunt et me quoque in hoc opere conficiendo egregiis commentariis adiuverunt maximas gratias ago. Nec vero pauca debeo Bernhardi libro de litteris Romanis conscripto, quem iure ac merito praestantissimis adnumeramus atque dignissimis, qui accurate perlustrentur. Teuffelii quoque historiae litt. Rom. compluribus locis rationem habere coactus sum. Postremo vero mihi magno usui et adiumento fuerunt libri grammatici Schneideri, Nevii, Ruddimanni, Madvigii etc. et Paldami, Badstuebneri, Deltourii dissertationes et insignes quaestiones Corssenii grammaticae.

Quibus ex omnibus aliisque libris quid hauserim, singulis locis quam diligentissime addidi.

His praetermissis propositum ipsum aggrediamur.

DE ARCHAISMIS SALLUSTIANIS.

PARS I.

Omnes qui veterum iudicia de oratione Sallustiana perlustraverunt, haec tria vituperandi obtrectandique argumenta congesserunt: primum quod nimia in eo sit brevitas atque obscuritas, deinde quod suo arbitratu ab usitato genere dicendi recesserit, tum quod verborum antiquorum amantior imitatorque Catonis fuerit. Primum alterumque argumentum iam ab aliis satis tractatum omittam; de tertio autem id est de usu archaismorum quam diligentissime disseram.

Sallustium re vera et archaismis usum et multa a Catone mutuatum esse, testimonia veterum et recentiorum criticorum comprobant. Nec idcirco supervacaneum nobis videtur haec omnia, quae documento sunt, hoc loco proponere. Affert Quintil. VIII. 3. 29 epigramma, quo auctor hac de causa vehementer carpitur:

„Et verba antiqui multum furate Catonis,
„Crispe, Jugurthinae conditor historiae“.

Nec aliter Asinius Pollio iudicavit, qui ne Caesari, Ciceroni, Livio quidem pepercit. Tradit etiam Suetonius de ill. gramm. 10 librum ab eo compositum fuisse, quo ille Sallustii scripta reprehendisset *ut nimia priscorum verborum affectatione oblita.* Ab Augusto Caesare autem, cui promptam ac profluentem, quae deceret imperatorem, eloquentiam fuisse ait Tacitus, Sallustium,

qui *multa verba e Catonis originibus excerpsisset,* vituperatum esse in vita Augusti cap. 86 narratur. Idem porro scriptor in lib. de ill. gramm. c. 15 Lenaeum tantum amore erga patroni (i. e. Pompei) memoriam exstitisse prodit, ut Sallustium historicum, quod illum oris probi, animo inverecundo scripsisset, acerbissima satira laceravit, lastaurum et lurconem et nebulonem popinionemque appellans et victa scriptisque monstrosum, *praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem.* Apud Frontonem in epist. IV. 3 pag. 62 (Naber) Sallustius nominatur *M. Porcii frequens sectator.* — Haec fere sunt veterum testimonia, quae de hac re afferri possunt. Sed etiam eos qui nostra aetate de vita et scriptis Sallustii scripserunt, veterum iudicia sequi videmus putantium, eum antiquorum verborum amantiorem fuisse. Neque tamen id inter se consentiunt, utrum usus archaismorum Sallustio vitio an laudi vertendus sit. Praeterea vero monendum est, ne unum quidem e scriptis Sallustianis plures archaismos excerpsisse, sed tantum de obsoleta oratione late fuseque disputasse. Ne altius repetam, nonnullas modo sententias easque quae commemorentur dignissimas laudabo. Velut Bernhardy in hist. litt. Rom. (ed. IV) p. 661: „Wie Sallust zwischen dem Alten und Neuen steht, so blieb seine Sprache zwischen Eleganz und *Alterthümlichkeit* getheilt, sein lebhafter und energischer Stil verbindet in berechneter Mischung den würdevollen Ernst des *Archaismus, der aus altem Gebrauch erlesenen Wörter, Formen und Bedeutungen,* mit Raschheit und feinem Korn des Vortrags, den er durch den Reiz gewählter Graecismen und poetische Freiheit noch veredelt"; et pag. 665: „Die Kritiker tadelten was zwar gemacht, aber mit Geschmack und grofser Wirkung angewandt war, den *durchdachten Sprachgebrauch auf alterthümlichem Grunde*". Fr. Aug. Wolf in praell. hist. Rom. litt. a Guertlero editis idem fere iudicavit: „Es herrscht in ihm ein *antiquarischer Ton*". Baehr in hist. litt. Rom. p. 77 (ed. III) autem Sallustium laudavit non modo obscuritatem illam iam a veteribus vituperatam non de-

prehendens, sed etiam disertis verbis hoc vitium excusans. Qui antiquorum quoque verborum studium virtuti magis quam vitio ei ducendum esse censet, quod argumenti naturae optime conveniat, cf. pag. 77: „Selbst der *alterthümliche Hauch, der das Ganze durchdringt und ihm ein ehrwürdiges Ansehen verleiht,* erscheint in dieser Hinsicht nicht unpassend, so sehr auch diese und andere *Eigenthümlichkeiten namentlich die öfters angewendeten* **Archaismen** dem Sallust schon im Alterthum den Tadel eines Asinius Pollio zugezogen haben". Quibus causis non adsentitur W. Teuffel in litt. antiq. encyclop. T. VI. p. 696, ubi testimonia verborum orationisque vetustatem vituperantia ita affert, ut cum iis consentire videatur. Nam pag. 701 Teuffel ait: „*Sallust's Archaismen erstrecken sich auf* **Schreibung,** *Wahl und Fügung der Worte* und da eine solche Sprache ein reines Erzeugnifs der Reflexion mitunter der Willkür ist, so ist es unvermeidlich, dafs sie vielfach den Eindruck überflüssiger Aenderungssucht, der Gesuchtheit und Künstlichkeit macht, daher dieselbe im Alterthum leidenschaftliche Tadler fand"; neque in hist. litt. Rom. § 194 pag. 336 ab hoc dicto recessit. — De Gellii quoque iudicio, qui IV. 15 Sallustio verborum fingendi et novandi studium exprobrat et I. 15 eum *novatorem verborum* adpellat sententiae sunt diversae et contrariae. Alii enim ut Forcellini III. p. 182 haec habent: „novator, qui novat, in usum revocat, quae obsoleverunt". Idem fere Bernhardy quoque dicit p. 664: „Sallust's nächste Zeitgenossen tadelten auf verschiedenen Punkten (Gell. IV. 15: novatori verborum I. 15) *seinen Hang zum Archaismus*"; alii contra ut Krebs, Baehr, Georges, Klotz (cf. Jahns Jahrbücher Suppl. Band VII. pag. 583) eum, qui nova verba fingat et faciat, novatorem verborum nominandum esse sentiunt. Sed cum ex scriptis ipsis Sallustianis satis intelligatur, multo magis eum antiqua verba renovasse quam nova finxisse et vocem „loquentia", quae Klotzio praecipue documento fuerit, recentissima Jordani collatione codd. sublatam esse, equidem novatorem verborum nominaverim, qui

prisca verba repetierit, praesertim cum Gellius XI. 7. 2 quoque dicat: „Nova autem videri dico etiam ea, quae sunt inusitata et desita, etsi sunt vetusta“. Deltour (de Sallustio Catonis imitatore, Paris. 1859) pag. 8 duas diversas sententias coniungere videtur ita explanans:

„Ex veterum imitatione magnam nostri orationi virtutem accessisse ..... Quem tamen cum alibi idem Gellius „verborum novatorem“ dicat, nullo modo hoc iudicium cum priore pugnat. Nam saepissime ad priscorum vocabulorum opem confugit, qui novus esse studet; duo autem illa priscas voces usurpare et novas proferre, quamquam prima specie inter se diversissima in scriptore bono et docto mire congruunt!“

Neque vero opus est, omnes omnium virorum doctorum opiniones hoc loco laudare, qui de genere dicendi omnino scripserunt, ut Hand, Grysar, Heinichen, cum idem fere aliis modo verbis usi exposuerint. Cur de testimoniis, quae supra attuli, dubitemus nulla causa est, nam nobis tantae operum Sallustianorum reliquiae adsunt, ut nulla de veritate eorum dubitatio nobis residat.

Priusquam ad obsoletam archaicamque orationem Sallustii examinandam adumbrandamque accedamus, opus videtur ut exponamus, quid sit archaismus et quomodo veteres de huius usu iudicaverint. — Walch in hist. crit. l. l. (Lips. 1729): „Archaismus autem, inquit cap. II. § 15 pag. 185, figura dicendi vulgo nominatur secundum antiquorum rationem, qui ante Ciceronis tempora floruerunt, cum latinitas erat rudis et maxime inculta, ab origine quippe urbis Romae usque ad Terentii (?) aetatem“. At Bernhardy multo rectius aetatem archaicam ab anno 240 usque ad c. 90 a. Chr. permansisse constituit. Sunt autem archaismi in orthographia, in genere flexioneque vocabulorum, in syntaxi. *Singulos archaismos accuratius eligentes* **varios aetatis gradus** *discernamus necesse est.* Antiquissimis enim temporibus formae archaicae ut in carmine Saliarium et fratrum Arvalium et in legibus XII. tabularum fuerunt, quae in comoediis

Plautinis et in scriptis Catonianis iam non inveniuntur. Ut enim populus aliquis magis magisque ad maiorem cultum humanitatemque progreditur, ita lingua fit elegantior et politior. Itaque Terentius, qui in confinio duarum aetatum est, quamquam magis ad antiquius et incultius adpropinquans, ab tota antiquitate et a Cicerone ipso (ad Attic. 7. 3. 10, de opt. gen. dic. 1) iam a pura latinitate laudatur. Tamen comoediae Terentianae archaismorum plenae sunt. Sed obsoletae formae aetate a Terentio usque ad Lucretium multo rariores fiunt. *Sallustius quidem ex antiquissimis temporibus non formas grammaticas, sed tantum singula vocabula nonnullaque ad syntaxin pertinentia repetiit; nec vero Catonis aetatem in oratione formanda et verbis eligendis transgressum esse in parte II. me demonstrasse arbitror.* Cf. Teuffel pag. 40: „Da indessen die nachfolgenden Schriftsteller (d. h. nach Appius Claudius) sich der griechischen Sprache bedienten, so *beginnt die Geschichte der Prosa eigentlich erst mit dem älteren Cato*“. Exempli gratia formae huiusmodi apud Catonem etiam frequentissimae in Sallustio iam non leguntur: queis, siet, filiabus, imposivi etc. Eodem modo in orthographia nusquam formas obsoletas aut priscas inveniri ex Jordani codd. collatione constat, cf. pars II. cap. 1. Quamobrem hanc Teuffelii sententiam pag. 337 admiror: „Auch auf die Schreibung der Worte bezieht sich der archaistische Charakter des Sallust“. Cui documento est libellus Zeitfuchsii „de orthographia Sall.“ (Sondersh. 1841), continens non solum multa prava, sed etiam praeclaris Corssenii quaestionibus plane refutata.

Quibus ex causis sententiam Blassii (Gesch. d. röm. Beredsamkeit von Alex. bis Cic.) rectissimam verissimamque existimo pag. 148: „Gegenüber dem Asianismus stehen die Verehrer des Thucydides, *Sallust* und Asinius Pollio, die einen *edleren und reineren Archaismus* als Sisenna *zeigten*“ et pag. 131 et 132: „Aber es ist nicht zu vergessen, dafs es nicht die Spitzen der Thucydideer und Archaisten sind, die Cicero so verächtlich abweist, sondern nur der Schweif. *Sallust und Asinius Pollio*

sind durchaus nicht mit demselben Maafse zu messen und Cicero spricht auch nicht gegen sie". — Itaque scriptores archaici ab eorum imitatoribus presse disiungendi sunt.

Qua quaestione profligata ad alteram transeamus, quomodo de usu archaismorum veteres ipsi senserint. Permultorum autem iudiciorum haec esse gravissima videntur:

Cic. de orat. III. 25. 97: „Moneo ut caveatis, ne exilis, ne inculta sit vestra oratio, ne vulgaris, ne obsoleta". — III. 37, 150: „In propriis est illa laus oratoris, ut abiecta atque obsoleta fugiat". — III. 38, 153: „Inusitata sunt prisca fere ac vetustate ab usu cotidiani sermonis iam diu intermissa, quae sunt poetarum licentiae liberiora quam nostrae, sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem". — Orat. 24, 80: „Sed etiam inusitata ac prisca sunt in propriis nisi quod raro utimur".

Quint. I. 6, 20: „Abolita et abrogata retinere insolentiae cuiusdam est frivolae in rebus parvis iactantiae". — II. 5, 21: „Duo genera maxime cavenda pueris puto: unum ne quis eos antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catonisque et aliorum similium lectionum durescere velit".

Seneca epist. 104: „Multi ex alieno saeculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt".

Sed etiam archaismi interdum adhiberi possunt, ut oratio gravior et excelsior fiat, quare Quint. I. 6, 1 ait: „Vetera maiestas quaedam et, ut sic dixerim, religio commendat". Et imprimis I. 6, 39: „Verba a vetustate repetita non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam non sine delectatione; nam et auctoritatem antiquitatis habent et quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est modo ut neque crebra sint neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione nec utique ab ultimis et iam oblitteratis temporibus".

Iam igitur Quintilianus et Seneca etiam **plures archaismorum aetates** ***recte seiunxerunt.***

Itaque ipse Cicero data occasione interdum singulos archaismos non contempsit ut in Cat. I. 9, 2 duint; ad Att. 16, 12 muginari, 9, 2 averruncare; Brut. 46, 172 pote, pro Caec. 29, 82 dixti. Multi archaismi quoque diligenter conservati et traditi sunt in formulis technicis et sancitis ut in legibus, in lingua cotidiana, in sermone sive comico sive poetico, in quo omnino multae usitatae orationis exceptiones frequentantur.

Omnes fere autem veteres secundum illa praecepta elegantiores archaismos Sallustianos obtrectasse vehementerque vituperasse mirari non possumus; tamen iudicia nostrorum temporum aut nimis severa aut nimis clementia esse confitebimur. Nam permultis saeculis peractis aliis Sallustii virtutibus capti archaismos aut animum non advertimus ut E. Müller (histor.-krit. Einleit. z. nöthig. Kenntnifs u. nützl. Gebrauch lat. Schriftstell.) pag. 450 ait: „Ich für meine Person kann wohl sagen, dafs ich bei Lesung des Sallust mich durch diese Kleinigkeiten nicht habe aufhalten lassen, ja dafs ich nach meiner geringen Einsicht die vielen ***archaismos et neoterismos, darüber man ein so grofses Geschrei gemacht,*** **ohne doch tüchtige Beweise** ***beizubringen*** nicht sonderlich habe finden können"; aut, ut Teuffel, in contrarium incidimus Asinii Pollionis et Lenaei obtrectationes secuti, quorum alter omnium fere veterum auctorum opera detrectavit, alter odio privato aut publico occaecatus est. „Quae convicia Lenaei, Paldamus recte inquit pag. 5, ab omni urbanitate atque humanitate iudicii remota e diligenti litterarum studio accurataque cognitione minus quam e nimio partium studio caecoque quodam patroni amore exorta esse, quis est, qui non videat". Mirum autem esset, si Pollio qui summis praestantissimisque suae aetatis dicendi auctoribus non pepercit, nihil in oratione Sallustiana, quod notaret, reprehendisset. Utique igitur Pollionis dictis diffidendum est, praesertim cum eum perperam et inscite genus dicendi Sallustianum improbasse no-

tum sit. Nam Gellius IV. 15: „Elegantia orationis Sallustii verborumque fingendi et novandi studium cum multa prorsus invidia fuit, multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare. In quibus plura inscite aut maligne vellicant“. cf. Quint. VIII. 3, 44. Huc autem accedit, quod Asinius Pollio ipse vehementissime priscos scriptores amplexus multa et antiqua verba adhibuit, quare ipse a posterioribus censoribus plerisque notam subierit. Blafs enim pag. 142: „Asinius Pollio erstrebte in seinen Reden und Geschichtswerken einen durchaus archaischen Stil nach dem Muster des Thucydides, der gegen Ciceronische Eleganz nach Quintil. Urtheil (X. 1, 113) so abstach, dafs man hätte meinen können, er habe ein Jahrhundert früher gelebt. Wenn nicht Menenius und Appius, so doch Accius und Pacuvius schienen in der Tragödie, wie in der Rede seine Lehrmeister gewesen zu sein“. Quam parvi alii quoque viri doctissimi obtrectationes Asinianas fecerint, et quantopere magnam eius vanitatem et ambitionem contempserint, luce clarius haec verba Muelleri pag. 456 indicant: „Asinius Pollio, der allgemeine Feind aller trefflichen Scribenten des Cicero, Caesar, Livius, ein Mann, der alle Verwegenheit, alle Unverschämtheit, allen Weisheitsdünkel und alle Grobheit hatte, die erfordert werden einen heutigen sogenannten Kunstrichter darzustellen und der also alle Eigenschaften besafs zu Rom die Bemühungen in der Kritik oder gar die freimüthigen Urtheile seiner Stadt zu schreiben — — — dieser Asinius Pollio beehrte auch Sallust mit seinem Tadel etc. etc.“ Is enim gravissimus Romanorum scriptorum censor cum aliis in rebus tum in hoc erravit, quod Atteium Philologum Sallustio antiqua verba et figuras solitum esse colligere dixerat, cf. Osann analecta critica p. 65. Equidem verbis Suetonii magis confido, qui in lib. de ill. gramm. 10 dicit: „Alterum (i. e. Sallustium) breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, instruxit“.

Mea quidem sententia Sallustius archaismos usurpavit,

qui tamen iniuria ita augebantur, ut cum multa, quae in optimis scriptoribus etiamnunc sunt, prisca haberentur, tum iusti graecismi in archaismis adnumerarentur. Quae omnes pravae opiniones in magna Gerlachii editione (Basel 1831. 4) legi possunt. ***Sed,*** ut iam supra dixi, ***archaismi Sallustiani*** **elegantiores** et **recentiores** ***sunt*** et ***magna cum sollertia orationi implicati.*** Ubinam huiusmodi archaismi in eo sunt ut animabus pro animis, filiabus pro filiis, agier pro agi, amasso pro amavero, accepso pro accepero, habessit pro habuerit, posiverunt pro posuerunt etc.? Ex altera autem quaestionis meae parte (cap. III) quales sint archaismi nostri auctoris cognoscitur.

Si autem cum ad totam orationem tum ad usum archaismorum respicitur, Sallustius cum nullo alio antiquo historico scriptore comparari potest. Nam primum antiquissimis temporibus ad res gestas describendas non lingua latina, sed graeca adhibebatur ut a Fabio Pictore, Cincio Alimento etc. Tum vero paulo ante Sallustium tantum rerum scriptores incultiore oratione et nimis antiquis formis inveniuntur. Optime autem de hoc sermone historico a Catonis usque ad Sullae aetatem usitato Bernhardy p. 638 egit: „Catos Einflufs auf die nächsten Historiker war gering. Seine Nachfolger bewahrten aber bis auf Sullas Tod dieselbe Nüchternheit im historischen Vortrag und ***Niemand gab ein anerkanntes Muster für die Geschichtsschreibung.*** Jedem blieb unverwehrt seinen eigenen Weg zu gehen und gleichsam von vorn wieder anzuheben. Hierdurch wird verständlich, was anfangs seltsam klingt, ***dafs der Archaismus in dieser Gattung am längsten sich erhielt,*** dafs auch die jüngsten Historiker den veralteten und unkorrekten Sprachgebrauch mit lockeren und tonlosen Sätzen noch nicht aufgaben“.

Quos imitari Sallustius non potuit, cum sane a suis aequalibus, inter quos iam Cicero, summus sermonis artifex exstiterat, insulsissimus dictus esset. Quam sententiam rectam esse

Bernhardy quoque testatur p. 232: „Durch solchen Wetteifer der fähigen Geister wurde die Litteratur ein Gemeingut der Nation etc. und die nächste Frucht des erhöhten Formgefühls war methodische Form, die Bildung einer gemeinsamen korrekten Schriftsprache. Niemand konnte diesen formalen Fortschritt völlig ablehnen. Nur die wenigen Anhänger des Archaismus in Prosa Varro, in Poesie Lucretius blieben zurück, ohne doch dem Princip ihrer Gegenwart völlig zu widerstreben; dagegen kennen wir Mitglieder der älteren Partei, welche den ***schlichten, alterthümlichen Ausdruck*** zur ebenmäfsigen Reinheit hoben und seine Farbe durch moderne Beimischung wie Asinius Pollio und ***künstlicher*** Sallust erhöhten". Qua propter ne Sisennam quidem nostrum scriptorem plane imitatum esse puto, de quo Bernhardy rectissime disseruit pag. 228: „Er war der erste, der (***mit geringerem Glück als Sallust***) einen gemachten Stil, wo nicht gar ein gemachtes Wesen erfand und zwar auf Grund sprachlicher Studien und mittelst eines unreinen Geschmackes. Sein Princip eine ungewöhnliche Rede sei die beste, giebt den nöthigen Aufschlufs über das Motiv seines verzwickten Stils"; et pag. 226: „Sisenna mifsfiel schon früh durch einen unnatürlichen Stil, indem er die Schnörkel und den Ungeschmack einer modischen Rhetorik zur Schau trug, einer breiten mit Detail überladenen Erzählung mit ungelenken Gliedern, gebrochenen Rhythmen und einer Auswahl veralteter Wörter. Eine so widrige Manier konnte sich nicht behaupten ***und gröfsere Talente, die so schnell auf Sisenna folgten, haben ihn bald vergessen gemacht***". Cuius viri eruditissimi dicto obsoletis Sisennae formis perlustratis libenter adsentimur. Sed haud scio an nonnulla ut adverbia in im exeuntia e Sisenna excerpserit.

Qui post Sallustium res gestas scripserunt, nullos archaismos ad orationem ornandam usurpaverunt, etiamsi haud ignoro apud Livium quoque, qui numerosam illam Sallustii brevitatem improbaverit eique iniquus fuerit, multos archaismos esse. Neque tamen quisquam archaismos Livianos similes esse Sallustianis

existimabit. Ut differentiam, quae inter eos intercidit, demonstrem, nonnullos ex Livii annalibus hoc loco enumerabo: indipisci, adclarassis, edissertare, auxitis, defexit, duellum, porricere etc. Livius enim quod inter ipsum opus elaborandum multiplici vetustorum annalium lectioni saepissime et diligentissime se dedit, eorum vestigia saepe nimis accurate pressit. Itaque manifestum est, ne obsoleta quidem vocabula eum rerum longe remotarum memoriae instaurandae apta locis idoneis aspernatum esse. Adnotandum tamen est, haec fere non inveniri nisi in formulis vetustioribus et precibus, quae ipsius tempore adhuc supererant, vel in iis locis, ubi annalium vestigia presse sequens vetustatis colorem servare voluit. Ut autem ex ceteris orationis solutae auctoribus illustrissimum eligam, Tacitum ex historiis florentissimi auctoris, ut Sallustius in Ann. II, 30 nominatur, cum alia permulta tum archaismos repetiise iam pridem demonstratum est, cf. Wölfflin Philolog. XXII. Dräger quidem in libello, qui inscribitur „über Stil und Syntax des Tacitus" tantum hos quattuor archaismos indicavit: mercimonium ann. XV, 38, truculentia II, 24, cernere = decernere XV, 14, bellum patrare III, 44; qui tamen totam vim archaismi nimis anguste circumscripsisse videtur. Multo autem melius de hac re ipsa Bötticher in Lex .Tacit. disputavit, quod Nipperdey in praefatione ad Tac. ann. confirmavit hoc dicto: „Sehr vieles für den Ausdruck hat Tacitus dem ihm verwandten Sallust vornehmlich dessen Historien, wie die wenigen Ueberreste derselben zeigen, entlehnt, ohne aber in seine ***übertriebene*** (?) Alterthümelei, Manierirtheit und Abgerissenheit zu verfallen".

Itaque Sallustius cum aut eloquentia sui aevi non contentus esset aut novam historicam orationem proponere vellet, artificiosum illum sermonem ex graecismis, archaismis Catonisque reliquiis compositum diligenter conformavit. Idem fere Teuffelium sentientem vidi in encyclop. p. 701: „Was die Darstellung betrifft, so hat sich Sallust eine eigene Sprache zurecht gemacht. Je sorgloser in dieser Hinsicht alle seine Vorgänger zu Werke

gegangen waren, indem sie ihre Aufmerksamkeit ausschliefslich dem Stoffe zuwandten, um so unbestrittener steht Sallust als der erste kunstgerechte römische Geschichtsschreiber da. Da die römische Schriftsprache damals noch nicht fixirt war, so blieb dem Urtheil und Geschmack der einzelnen Schriftsteller ein weiter Spielraum. *Sallust benutzte ihn um sich seine Sprache zu verschaffen, die zu dem ernsten, strengen, fast trüben Ton seiner ganzen Auffassungsweise am besten stimmte*".

Sallustium igitur cum in rebus componendis scriptores aequales valde superasset, in tota oratione conformanda multo magis ad exemplum antiquiorum scriptorum regressum et horum genus dicendi esse secutum cognovimus. Neque dubium est, quin veterum imitatio non parum valuerit ad virtutes illas toties in Sallustio laudatas.

Cuius artificiosae et archaicae orationis tres causae afferuntur, una a Badstuebnero et Kritzio, altera a Deltourio, tertia a Lawsio, ex quibus Badstuebneri et Kritzii verisimillima videtur. „Sed Sallustius, Badstuebner pag. 1 inquit, cum antiquitatis admiratione et veneratione quadam motus, haud dubie in scriptis demonstrare vellet, quantum et quale inter praeteritum et praesens tempus discrimen intercederet, pro singulari animi habitu vel pro ingenii natura atque indole proprium quendam sermonem et dictionem sibi finxit, qua admirationem antiquitatis taediumque rerum praesentium exprimeret et declararet"; cf. Kritz in prolegg. ad ed. alt. 1856. Neque vero tam probabilem Deltourii opinionem esse puto, Sallustium vanitatis ambitionisque, gloriae splendorisque causa hanc artificiosam orationem invenisse dicentis. Similis fere causa a Lawsio quoque affertur: „Sallustius mea quidem sententia, Laws in cap. IX inquit, orationem aetatis suae propter ambitus, qui a Cicerone, Caesare ceterisque auctoribus condebantur, corruptricem habebat. Quos ambitus Sallustius ob artificiosam verborum comprehensionem veritatis simplicitati non convenire neque hac de causa

aptos esse, quibus res gestae et actae recte referantur et posteris tradantur, iudicasse mihi quidem videtur".

Sallustius igitur **omnino antiquos scriptores** *summo studio et amore imitatus antiqua cum novis permiscuit;* nam in multis rebus ut in usu temporum et modorum et vocabulorum non multum interdum ab oratione Ciceroniana eum discessisse vidimus. Neque solum singula vocabula, sed etiam saepe totam periodorum conformationem ex antiquitate eum repetiisse intelligi potest. Nam antiquioris sermonis id proprium esse solet, ut pura illustrique gravitate magis quam concinna et artificiosa membrorum compositione excellat, quod in oratione Sallustiana compluribus locis invenitur, cf. Gerlach III, p. 321 sqq.

Difficillima vero est quaestio, *num* auctor noster **tantum** *Catonem sine ulla exceptione secutus sit,* cum plurima operum Catonis aliorumque aut perdita aut a librariis valde corrupta sint. Reliquiae tamen ad rectam iustamque orationis duorum scriptorum comparationem nimis exiles et exiguae sunt. Equidem has paucas similitudines cum Catone inveni: frequentissimum usum verborum benefacere, frustra esse, auxisse, formam antiquiorem III personae plur. perf. act. ere pro erunt, cf. pars II cap. IV. Praeterea hi quoque loci comparari possunt: Jugurth. 31 (init.) cum Cat. orig. VII. pag. 27 (ed. Jordan), Jug. 85 cum orat. reliq. Cat. I. p. 33, Jug. 31, 11 cum oratione IX § 10. Quam ad sententiam concipiendam Bernhardy me adjuvit his verbis „Anders Lenaeus (cf. Sueton. de ill. gramm. 15 et Aug. ap. Suet. 86), vir doctissimus inquit pag. 665, *während* **wir** *nur* **mäfsige** *Reminiscenzen antreffen* wie beim Eingang der Rede Jug. 31." Si autem veteres Sallustium sibi Catonem ad imitandum proposuisse dixerunt, tantum opus illius auctoris quod „Origines" inscribitur, videntur respexisse. Neque enim fieri potuit, ut Sallustius Catonianum libellum de re rustica, quod ob brevissimam abruptissimamque orationem nullo modo aptum fuit, in opere historico conficiendo ante oculos habuisset. Conviciis Lenaei quidem, ut iam supra exposui, non nimis

confidi et credi potest. — ***Mea quidem sententia omnino magis in lingua, colore, modo cogitandi* omnes antiquiores scriptores *eam ob causam, quam supra attuli, aemulatus est.*** Ex his omnibus optima quaeque et aptissima adsumpsit frequenterque etiam constructiones permiscuit.

Cui sententiae contraria est Deltourii, cuius dissertationi adsentiri nequeo. Nam Deltourius existimare videtur, omnia fere Sallustium ab Catone tantum adscivisse. Sed scriptor noster etiamsi quaedam ad verbum ex Catonis Originibus transtulit, consilium rationemque illius nequaquam imitatus est. Neminem autem qui in Deltourii cap. II pag. 12—38 legerit, insulsitas huius explanationis effugiet. Ubi multae similitudines afferuntur, quae apud alium cuiusvis aetatis scriptorem sine ullo discrimine inveniri possunt, cum legibus cogitandi praeceptisque scribendi plane propriae sint. Quare iterum iterumque repeto ex iis fragmentis tantum Catonianis, quae exstant magnamque partem male tradita sunt, non certo perspici posse, quid ex eo, quid ex aliis Sallustius hauserit. Fortasse vero sententiarum et rerum investigatione comperiemus, Catonis imitationem latius potuisse. Attamen cum mihi propositum sit de archaismis modo scribere, altius repeterem, si de hac quoque re hoc loco dissererem.

Iam vero veteres critici Sallustium aemulum Thucydidis adpellaverunt. Recte autem credimus eum dici a Thucydide quoque pendere, multas eius sententias transtulisse in suos libros, multas verborum compositiones expressisse, ex genere eius scribendi nonnulla repetiisse. Cum mea autem non intersit, hanc quoque quaestionem illustrare, breviter declaro, primum in Sallustio totidem fere graecismos quot archaismos esse, tum Popponem in prolegg. ad Thucydidem tom. I. vol. 1 p. 372—381 (Lips. 1821) totam Sallustii orationem, totum historiae scribendi modum ab eo quasi fonte fluxisse iudicantem, mihi multum a vero recessisse et in contrarium Deltourii vitium incidisse videri. „Nam Sallustium Thucydidis studiosissimum, Deltourius inquit pag. 81, fuisse concedam, sed ita tamen ut concludatur, eum multo magis et in oratione et in sententiis et in civilibus sensibus historiaeque ratione, Catonem rettulisse“. Dubium tamen mihi videtur, ut Gerlachius existimat, num studium antiqui requirendi eum prohibuerit, quominus imitatorum stultorum vestigia sequeretur, quibus ex Graecis scriptoribus flosculos colligere summa laus videbatur.

Postremo quaestio supervacanea videtur esse, utrum generi dicendi Sallustiano studium antiquitatis Catonisque imitatio commodo an damno fuerint. Neque ideo eam quoque attingam, quod non de tota oratione, sed tantum de eius parte quadam disputare volui. Praeterea vero iudicia nunquam concordia fore arbitror, cum opiniones de hac re nimis ex indole et natura cuiusque pendere videantur.

PARS II.

CAPUT I.

Continens omnia quae iniuria Archaismus habita sunt.

α) **De declinatione.**

Accus. Plur. III. declinationis in is.

Corte, Gerlach, Herzog, Kritz in suis editionibus praecipue ad vocem omnis in Cat. cap. 1. § 1 adnotationes faciunt, quae ad usum differentiamque Acc. Plur. in is pro es exeuntis pertinent. Quae illi viri exposuerunt cum paulo accuratius consideraverimus, duas sententias esse inveniemus, quarum altera hanc terminationem tantum antiquiorem, altera obsoletam esse dicit. Quas ad opiniones illustrandas ab illis partim testimonia veterum grammaticorum, partim adnotationes aliorum virorum doctorum ad h. l. laudantur, quae nos omnia enumerare necesse non est, cum C. L. Schneider in libro de El. L. L. II, 1 p. 269 de hac re disseruerit omniaque breviter congesserit. Neue quoque, quem opus Schneideri imperfectum et permultis exemplis ab ipso auctum persequi coepisse notum est, causas et sententias eiusdem secutus est. Schneider enim magna ex parte ea vocabula tertiae declinationis formam Accus. Pl. is pro es habere dicit, quae in Genitivo Pl. in ium desinant. Primo quidem terminatione „is" uti licuisse nullo adhibito discrimine, tum vero optimis linguae latinae aetatibus hanc terminationem tantum vocabula in Genitivo Pl. in ium exeuntia habuisse. Quam legem aut potius usum non diu veteres secutos esse, sed terminatio-

nem „es" in omnibus verbis sine ulla differentia usurpatam esse. Tamen vero dubium esse et constituere difficillimum, utrum re vera omnia verba, quae in Genitivo Pl. ium habent, an tantum multa eorum, an etiam ea, quae in Genitivo Pl. in um exeunt, terminationem is pro es habuerint. Merito igitur hanc quaestionem facilem non esse idem vir doctus declarat, quod cum editores librariique multa saepe variarint, tum iam veteres grammatici de hac re longe dissentiant. Sed de Schneideri iudicio recte Gerlachius ad Cat. 1. 1 dixit, eum ne veterum quidem scriptorum locos satis excussisse, nedum accuratius de hac re statuisse. Krebsius autem in libro, qui „Antibarbarus" inscribitur, sententiam Schneideri aliorumque confudit (cfr. pag. 25). Deltourius quoque dicit pag. 12 eos, qui formas ut omn*is*, mortal*is* obsoletas esse putent, non perspexisse, eas satis diu apud Romanos liberas aut dubias permansisse neque a Sallustio solum, sed etiam ab aliis aureae aetatis scriptoribus non semel fuisse adhibitas. — Quod autem vetustiores de hac re quaestiones nimis accurate repetierim, vehementissime peto ab lectore benevolentissimo, ut mihi ignoscat; sed hoc faciendum esse existimavi, ut satis intelligeretur quantopere haec omnia egregiis praeclarisque recentissimis Buecheleri et Corssenii studiis superata sint, ut nullam hodie documenti vim in se habeant. Buecheler et Corssenius autem unam ii quidem sententiam sequuntur, *sed de* **aetate terminationis is** pro es plane dissentiunt. Ne altius repetam, totas longasque virorum illorum explicationes non enumerabo, sed ea, quae pertinent ad quaestionem diiudicandam, ***qua aetate orta sit haec terminatio numque iam Sallustii temporibus obsoleta fuerit.***

Buecheler in libello qui „Grundriſs d. lat. Decl." inscribitur haec dicit pag. 27:

„Im historischen Latein also ist die *ältere* Endung bei der i-Declination wie bei der konsonantischen es, welche erst auf jüngerer Sprachstufe in ausgedehnterem Maaſse etwa seit dem VII. Jahrh. in is übergeleitet ward durch die Mittelform

eis; *es ist eine irrige Vorstellung, wenn man von is als ältester Bildung im Latein wie πόλις im Griechischen oder von der „späterhin allgemeinen Form auf es" redet,* eine Vorstellung, die den vorhandenen Denkmälern widerstreitet und über den mittelitalischen Verband hinausgreift, wie die Vocalisirung des Acc. Pl. im Umbrischen avef, aveif, avif ergiebt (lat. aves, aveis, avis)". Cuius sententiae permultis exemplis allatis Buecheler pag. 29 ita pergit: „Genauer läſst sich das allgemeine Ergebniſs zunächst nicht fassen, als daſs die i-Stämme und diejenigen konsonantischen, die aus i-Stämmen entstanden sind wie lit Nom. Sing. lis oder auch in der übrigen Flexion die i-Form annehmen wie amantium, amantia im Acc. Pl. die Endung es früh in eis und is umsetzten, so daſs in der Blüthe der Litteratur einigen Wörtern z. B. omnis, finis, turris, pluris, Decembris die Bildung auf is der auf es sichtlich vorgezogen, nirgends aber ausschlieſslich angewandt ward. Bei rein konsonantischen Stämmen wie sermon wird der, der den Acc. Plur. sermonis aus Mss. aufnimmt, zuvor nachweisen müssen, daſs er sich auf eine bessere Auctorität als die der schlechtesten Latinität stützt". Contra autem Corssenius in libro qui „Aussprache, Vocalismus und Betonung der lat. Sprache" (ed. altera) inscribitur, p. I. pag. 738 sqq. dicit: „Im *Altlateinischen* lautet die Endung des Acc. Pl. von i-Stämmen auf *eis* und *is* aus. Die Accusativformen auf eis und is sind in den voraugusteischen Inschriften nur von i-Stämmen gebildet, die meist auch im Nomin. Sing. ihr i vor s gewahrt, selten es eingebüſst haben, daher auch den Gen. Pl. auf ium bilden. In Originalurkunden der lat. Sprache können wir die Formen des Acc. Pl. auf eis und is erst nachweisen seit dem Zeitalter der Gracchen. Gleichzeitig mit diesen und zum Theil in denselben Inschriften finden sich nun aber die Formen des Accus. Pl. auf es (cf. exempla pag. 739 et 740). — Also die Inschriften seit der Zeit der Gracchen bis auf Caesars Tod bieten eine fast gleiche Zahl von Formen des Acc. Pl. auf is, eis, es. Es ergiebt sich also, daſs

auch in diesen das Schriftzeichen „ei" nur den einlautigen Mittelvocal zwischen i und e bezeichnet. — Es ist uns keine Form des Acc. Pl. von i-Stämmen in einer Originalhandschrift vor dem Zeitalter der Gracchen, des Attius und Lucilius erhalten weder auf is, noch auf eis, noch auf es. Aber daſs das Schwanken dieser Casusform zwischen is und es aus älterer Zeit herrührt, das darf man doch aus den Formen der wiederhergestellten columna rostrata: Cartaciniens*is* neben clas*eis*, nav*eis* und clas*es*, naval*es* schlieſsen".

Itaque post diligentem accuratamque explanationem Corssenius sententiae Buecheleri haec opponit pag. 740:

„Wenn somit seit der Zeit des ersten punischen Krieges ein Schwanken zwischen is und es der Formen des Acc. Pl., wie zwischen im und em des Acc. Sing. von i-Stämmen ersichtlich ist, *so fehlt doch zu der Behauptung „es" sei auf dem Boden der lat. Sprache die ältere Form und diese sei erst durch eis in is übergegangen jede thatsächliche Begründung*". Jam vero Corssenius in adnotatione ad h. l. multa adiecit, quibus opinio Buecheleri plane refellitur. — De veterum grammaticorum iudiciis Corssenius pag. 742 disputat: „Die Grammatiker seit Varro beschränken in voller Uebereinstimmung mit dem Schreibgebrauch der Staatsurkunden von der Zeit der Gracchen bis auf Caesars Tod die Form des Accus. Plur. auf is — eis auf i-Stämme; für diese sehen sie mit vollem Rechte die Endung is als die regelrechte, nach der Bildung des Wortes demselben znkommende an, die Endung „es" so oft sie dieselbe zulassen, doch immer nur als die von der Regel abweichende". — p. 744: „Der Versuch aus den Mss. neue Regeln gewinnen zu wollen für den Gebrauch der Formen auf is über die Bestimmungen der Grammatiker und die Thatsachen der Inschriften hinaus, kann daher nicht zu sicheren Ergebnissen führen, wie von Buecheler mit Recht geltend gemacht worden ist". Cf. O. Keller in Rhein. Mus. XXI, 241—246.

Equidem facere non possum, quin egregias acutasque

Corssenii expositiones prorsus sequar. Itaque terminationem „is" primam et principalem fuisse dico, omnes autem interpretes Sallustii et grammaticos vehementer errasse, qui propterea Sallustium prisca et obsoleta forma usum esse existimarent. Si autem quis censeat, duas terminationes Sallustii aetate scriptas, sed vetustiorem formam „is" iam raro esse adhibitam, haec tamen forma nondum obsoleta nominari et in archaismis haberi potest. Dixerit igitur aliquis eum terminationem antiquiorem praetulisse, ut oratio antiquorum similior esset, nisi certo sciamus, optimos quoque scriptores cum Caesarem, tum Ciceronem ipsum terminatione „is" semper in iis vocabulis usos esse, quae genitivum in ium exeuntem habeant. Itaque duas sententias, quas supra attuli, falsas esse demonstrasse me existimo.

Genitivus sing. IV. declinationis.

senati. Genitivum senati in usu fuisse docet Quintil. I, 6, 27. Apud Sallustium eum inveniri testantur Nonius VIII, 10 et 50, Donat. ad Ter. Hecyr. III, 2, 21, Prisc. VI, 14, 73 p. 268 (ed. Krehl). Neque vero quisquam negare potest, formam in i antiquiorem fuisse, quod recentissima quoque Corssenii (II, p. 738) quaestione satis demonstratum est: „Neben den alten Formen, Corssenius inquit, wie magistratuos und partuis, die wir erst aus Plautus Zeitalter nachweisen können, erscheinen aber gleichzeitig Formen des Gen. Sing., die auf i auslauten, in Urkunden erst seit dem Zeitalter der Gracchen, bei Schriftstellern schon früher seit Plautus und Ennius (victi, gemiti, quaesti, tumulti, sumpti, strepiti, flucti, soniti, ornati etc.), besonders häufig bei den Bühnendichtern, und nicht selten in der Prosa vor August bei Sisenna, Claudius Quadrigarius, *Sallustius und Cicero* und senati noch zu Quintilians Zeit. Da in der Zeit von Plautus bis auf Quintilians auslautendes s einer Casusform nicht abfällt, auch sonst eine Verschmelzung von ui zu i in einer Casusform von u-Stämmen nicht erweislich ist, so kann man nicht annehmen, dafs senati u. A. durch Abfall eines s und Verschmelzung von

ui zu i aus senatuis u. A. entstanden sind (wie Ritschl dies will). Einfacher scheint es (Neue I, p. 362) darin einen Uebergang in die zweite Declin. zu erkennen, zumal da von einigen Nomina, deren Genit. auf i ausgehen kann, auch ein Dativ und Ablativ auf o und ein Num. Pl. auf i vorkommt, cf. Buecheler p. 31 ff."

Itaque cum Sallustii scripta accuratius perlustrabimus, non tam saepe eum formas in i, quam in us adhibuisse inveniemus, quod etiam in codd. collatione recentissima a Iordano facta plane observatum probatumque est. Ita Sallustius formam senati dumtaxat habet: Cat. 30, 3 senati decreto; Cat. 36, 5 senati decretis; Cat. 51, 1 senati decretum; Iug. 40, 1 senati decreta; Iug. 25, 11 senati verbis. — Sed formam in us: Cat. 51, 36 per senatus decretum; Iug. 28, 3 ex senatus decreto; Iug. 38, 3 senatus auctoritas; Iug. 22, 2 auctoritate senatus; Iug. 31, 25 senatus auctoritas; Iug. 43, 3 senatus auctoritate; Cat. 42, 3 ex senatus consulto; Iug. 112, 3 iussu senatus aut populi; Cat. 37, 10 senatus partium; Cat. 38, 2 senatus specie; Iug. 25, 7 iram senatus, Iug. 30, 3 inter dubitationem et moras senatus. — Qua duarum formarum enumeratione scriptorem nostrum Genitivo senati saepissime in hac iunctura „senati decretum" et ea quidem sine praepositione usum esse intelligi potest. Itaque Iacobsius et Dietschius recte videntur iudicasse Sallustium Genitivum sing. IV. decl. in i in iis terminis technicis aut formulis scripsisse, quae cotidiano usu ex antiquitate traditae semperque usitatae essent. Quamobrem Iordanum quoque „tumultus causa" pro „tumulti causa", quam formam ante eum editiones habuerint, multo rectius scripsit.

Dativus sing. IV. declinationis.

Quod ad Dativum IV. declinationis attinet, recentissima illa collatione constitutum est, Sallustium modo semel: „Iug. 6 luxu" formam contractam in u adhibuisse. In editione Kritzii fragm. I, 57 forma „usu" legitur quidem, sed huius editoris criticam

rationem sequi non possumus. „Bei den alten Bühnendichtern, de hac forma Corssenius II, p. 740 inquit, erscheinen diese Dativformen nur vereinzelt, häufiger seit Lucilius bei den dactylischen Dichtern, wie Lukrez, Vergilius, Propertius und Silius und in der Prosa des Cicero, Caesar, Sallust, Livius, Plinius, Tacitus, obwohl die Ueberlieferung der Mss. hier vielfach unsicher ist. Cum dativi contractam formam a Caesare rectam solam ipsam probatam esse Gell. IV, 16, 9 tradiderit, nulla est causa quaerendi, cur Sallustius forma contracta ipsa usus sit.

Genitivus sing. V. declinationis.

In quinta declinatione saepenumero pro terminatione ei contractam ē scripsit Sallustius ut die Iug. 52, 3; requie fragm. hist. I, 99 (Kritz); acie fragm. I, 107. Neque vero quintae declinationis Genitivus in e contractus maiorem admirationem movet, cum has breviores formas usitatissimas fuisse veterum testimonia probent, cf. Gell. IX, 14. Neben den gewöhnlichen Genetivformen, Corssenius II, p. 725 inquit, auf ĕī finden sich seit Plautus die Formen auf ēs und ē und zwar jene nur nach vorhergehendem i erhalten, seit Cato die auf i und zwar bis in das Augusteische Zeitalter hinein, cf. Buecheler pag. 36 sqq. et Lorenz ad Plaut. mil. glor. v. 1162.

Genitivus sing. I. declinationis.

In prima declinatione antehac forma „custodi*as*“ in fragm. III, 42: „castella custodias thesaurorum in deditionem acciperent“, partim Genitivus, partim Accus. Pl. habebatur. „Die Bildung des Genitiv auf as aber, Buecheler pag. 32 recte inquit, hat die Sprache im VI. Jahrh. gänzlich aufgegeben und *Asper war unbedingt im Irrthum, wenn er dem Sallust castella custodias thesaurorum in deditionem acciperentur zuschrieb, custodias als Genitiv auslegend, sei es dafs acciperentur aus acciperent oder custodias aus custodiae verderbt war*“. Asper autem, ut Sallustium prisce loquentem faceret, ingenio abusus est, non veritus ineptias, si modo doctus videretur. Formulae vero „pater et mater familias“ semper in usu a Terentio usque ad Quintilianum fuerunt, etiamsi pluralis, ut videtur, patres aut matres familias multis, ut Sisennae, displicuit. Itaque Sallustius quoque in Cat. 51, 9 matres familiarum, 43, 2 filii familiarum scripsit, quod et usu loquendi et grammatica ratione defenditur. Sensit iam Varro de l. l. VIII, 38 pag. 446 (ed. Spengel): „Si analogias sequi vellent, plures patres familias dicere non debuerunt, sed ut Sisenna scribit patres familiarum“. Cf. Cic. ad Att. VII, 14, 2.

De declinatione pronominis **nullus**.

In Catil. 29, 3: „nullius earum rerum consuli ius est“. Codd. fluctuant inter formas nulli et nullius. Multa autem de constructione interpretes ad Cat. 29, 3 scripserunt. Alii enim „nulli“ Genitivum esse putarunt, sed iamdudum a grammaticis demonstratum est, duas tantum Genitivi generis feminini formas esse: nullius et antiquiorem nullae; alii autem, ne antiquam formam legant, nulli cum vocabulo „consuli“ coniungunt, alii, ut Gerlachius, dicunt nulli pro „non“ positum esse. „Hierbei, Reisigius in praell. not. 215 inquit, ist die Frage zu erwähnen, ob es bei diesen Wörtern (alius, nullus etc.) auch einen Genitiv auf i für alle drei Geschlechter gab; mir scheint dies nach der Analogie von mei, tui, sui nicht unglaublich, *obgleich es schwer ist einen evidenten Beweis zu führen*. Wichtig ist die Frage besonders für die Stelle Cat. 29, 3. Wie man die Interpretation auch hier drehen mag, immer wird man wieder auf den Wunsch zurückgeführt nulli für nullae oder nullius nehmen zu können“. Facillime tamen omnem difficultatem effugere possumus, si optimis codd. testantibus „nullius“ legitur. Nam primum forma nulli pro nullae in libris antiquorum ostendi nequit, tum vero etiam Sallustius ab usu archaismi liberatur. Huc accedit, quod a Fabro forma „nullius“ etiam bene declaratur.

Neque vero praeterea demonstrari potest, Sallustium anti-

quam huius pronominis declinationem omnino adhibuisse. Nam utrum in Iug. 97, 3 „nullo impedimento“ Dativus an Ablativus „nullo“ sit dubium est. Fuerunt enim, qui „nullo“ antiquam Dativi formam putarent, quam Prisc. VI, 7, 36 pag. 243 Kr. apud vetustissimos in usu fuisse testatur. „Qua antiquiore pronominis forma, Kritzius inquit, cur Sallustius uti non potuerit, idonea causa non intelligitur. At eius apud Sallustium nullum, apud aequales eius rarissima exempla sunt“. Quapropter multo simplicior est aliorum interpretum declaratio, qui „nullo impedimento“ Ablativum esse recte dicunt, quae constructio ex Ciceronis exemplis facile cognoscitur cf. Cic. ad Att. X, 18; Auct. ad Her. II, 11. Itaque cum res ita se habeant, Sallustium pronomen „nullus“ et similia ad antiquum obsoletumque usum declinasse accipere necesse non est.

Quibus omnibus satis accurate expositis jure ac merito in declinatione nullo modo archaismum Sallustium adhibuisse contendere possumus.

β) De coniugatione.

De Gerundivi et Gerundii terminatione.

Gerundivum et Gerundium III. et IV. coniug. in undus et undum exiens, ubi u pro e positum est ut faciundum, capiundum, potiundi, perdundi, agundi, mittundi etc. a Sallustio semper scriptum est. Deltourius in cap. II, p. 12 dicit eos, qui hanc formam obsoletam arbitrentur, non satis perspexisse, eam diu apud Romanos liberam aut dubiam permansisse, nec tantum a Sallustio, sed etiam ab aliis aureae aetatis scriptoribus non semel fuisse adhibitam. Itaque iam Beier ad Cic. orat. I, 2 recte observavit, Ciceronem quoque antiquiore Gerundii Gerundivique forma in undum maxime in verbis in io et ro desinentibus, in verbis, quorum exitus est in bo, co, do, go, mo, to in certis quibusdam et more receptis formulis usum esse. Fabri autem existimat, has participii terminationes archaismos habendas esse,

quae cum apud alios scriptores huius aetatis compluribus locis, tum apud Sallustium ipsum semper inveniantur. Eodem modo Zeitfuchsius Sallustium hanc **priscis** ***Romanis*** usitatissimam scripturam adhibuisse iudicat. Contra Corssenius de hac terminatione nuper sagaciter subtiliterque disseruit, cui libenter adsentior, praesentim cum equidem iam antea nunquam persuasum habuerim, formam in undus archaismum putandam esse. Haec est igitur Corssenii observatio II, p. 182 sqq.:

„Nach Ausweis der Inschriften ist die Suffixform endo mindestens ebenso alt wie undo; Staatsurkunden und Rechtsurkunden gebrauchen beide Formen zur Zeit der Gracchen, wie des Cicero und Caesar. Bemerkenswerth ist aber doch, daſs im Zeitalter der Bürgerkriege die Form endo für Verba der III. Conjug. gebräuchlicher wird, während die Form undo von Verben auf io der IV. oder III. Conjug. bevorzugt wird. In der Augusteischen Zeit war aber die Form des Gerundium auf endo die überwiegend gebräuchliche geworden, so daſs von Verben der III. Conj. die Form auf undo nur noch geschrieben und gesprochen wurde in hergebrachten Formeln, die eine Staatshandlung, Amtsthätigkeit, Rechtsübung oder ein Rechtsverhältniſs bezeichnen, wie dictator rei gerundae, iure dicundo praeesse, vendundi causa; hingegen sind von Verben auf io der IV. und III. Conj. die Formen auf iundo ebenso gebräuchlich, wie die auf undo. Im Sprachgebrauche der älteren Kaiserzeit nach Augustus sind die Formen auf endo die vorwiegenden und regelmäſsigen geworden, die auf undo erscheinen noch selten von Verben auf io und in hergebrachten Formeln der Amts- und Rechtssprache“.

Haec igitur fere est summa observationis ex inscriptionibus perceptae. Iam vero Corssenius scriptores quoque ipsos excussit, qua re ad hunc exitum pervenit:

„Bei Plautus und Terenz und den anderen altrömischen Dichtern ist das Schwanken zwischen endo und undo ebenso begreiflich, wie in den Staatsurkunden vom Erlaſs über die Bac-

chanalien bis auf die lex Iulia. Nach dem Bilde dieser ihrer Vorgänger brauchen auch die späteren Dichter beide Formen des Gerundium. Ebenso behalten die Prosaiker zu allen Zeiten die Form auf undo bei in hergebrachten Formeln der Amts- und Rechtssprache und natürlich, wenn sie Stellen aus alten Gesetzen, Verträgen etc. anführen, in denen dieselbe vorkommt. Solche Formeln sind bei Cicero iure dicundo, communi dividundo, rebus gerundis; bei Caesar, Livius und Tacitus belli gerundi. ***Unter den lateinischen Prosaikern des klassischen Zeitalters gebraucht Sallust die Form undo des Gerundiums am häufigsten.*** Bei Cicero, Caesar und Livius erscheint die Form undo vorwiegend von Verben auf io der III. u. IV. Conj. Die Ueberlieferung der Mss. des Cicero, Caesar und Livius steht also in dieser Beziehung im vollsten Einklange mit dem Schreibgebrauch der Originalurkunden des Zeitalters jener Römer, das die Form undo des Gerundiums, abgesehen von althergebrachten Formeln und Sprechweise, nur noch von Verben auf io häufiger brauchte, sonst der Form endo schon entschieden den Vorzug gab".

Quibus ex causis a Corssenio multis exemplis illustratis luce clarius id sequitur, ut Sallustius multo saepius quidem quam alii scriptores forma in undus usus sit, praecipueque etiam in verbis in o exeuntibus, quod iam rarius fieri coeptum erat, tamen cum regulis et consuetudine aetatis suae plane congruat, ut neque ideo usus obsoletarum formarum neque ullius archaismi argui possit. Fortasse igitur dicendum est, quamquam demonstrari nullo modo potest, hanc ipsam formam Gerundii Sallustium usurpasse, ut oratio maiorem gravitatem coloremque quendam antiquiorem haberet, praesertim cum, ut supra exposui, forma recentior in endus iam usitatior esset.

obsidere. Cum duo sint verba, obsido et obsideo, in nonnullis formis derivatio est dubia ut in Cat. 27, 2; Cat. 43, 2; Iug. 91, 4. — Gerlachius Cortio et Muellero testibus „Obsidunt, inquit ad Cat. 45, 3, antique pro obsident, apud Lucretium et Vergilium saepius occurrit". Gerlachius comparat cum iis verbis, quae, quamvis secundae coniugationis sint, apud antiquiores scriptores interdum secundum tertiam coniugationem flectuntur. Multa autem verba huiusmodi fuisse ex Lorenzii adnotatione ad Plauti mostell. v. 258 perspici potest. Neque tamen verbum obsidere cum iis, quae supra nominavi, conferri potest nec forma obsidunt pro obsident antique dicta est. Immo vero verba obsidēre et obsidĕre non forma tantum sed etiam significatione differunt, ita quidem ut illud inchoativum sit, hoc plene institutam actionem significet.

γ) De orthographia.

oboedientia. Klotzius in Lexic. s. h. v. oboedio *antiquam* formam pro obedio esse dicit et laudat hos locos: Cic. rep. III, 29, Frontonis ep. ad Verr. 7. De hac scriptura C. L. Schneider p. I, 1, pag. 77—82 egit. Sed multo accuratior diligentiorque est Corssenii disputatio in parte I, pag. 702—715. Vocalis „oe" enim nulla est prima et principalis, sed ex vocali oi orta; cf. Madvigii Cic. de fin. 1, 6 not. 1 et 3. Nam diu diphthongi „oi et oe" promiscue communiter scribebantur. „So viel erhellt also, Corssenius I, p. 705 inquit, dafs seit dem Zeitalter des ersten Bürgerkrieges oe in der Aussprache zur ***allgemeinen Geltung*** gelangt und auf der Rednerbühne aus Ciceros Munde der Diphthong oi nicht mehr gehört worden ist". — Iam vero idem v. d. in syllabis primitivis ab imperatorum aetate vocalem „e" pro „oe" usurpatam esse exponit. Fleckeisenius a. a. l. p. 22 existimat, formam „ob*oe*dientia" melius traditam esse quam „ob*e*dientia". Itaque editores Ciceronis recentissimi in formis verbi „oboedire" semper fere „oe" pro „e" iure scripserunt. Sed etiam etymologia, quam Corssenius I, p. 361 affert, scripturam „oe" solam rectam esse comprobare mihi videtur. Quibus omnibus expositis nemo opinionem Klotzii amplectetur. Nam cum Sallustius nullas alias formas quam oe et oi nosset, forma „oi"

autem iam pridem obsoleta esset, ne formam obedire quidem scribere potuit.

Vocalis u pro i. Sallustius littera u utitur, quae gravitate sua soni iis, quae postea in usu pro u fuerunt, praestabat. Ex huius rei exemplorum multitudine afferamus voces has: lacrumae, aestumo, lubens, lubido. In superlativis terminatio antiquior posteriori in imus exeunti semper praefertur. Fabri autem ad Cat. 1, 1 formam superlativi in umus pro imus aetate Sallustii usitatam fuisse ait, formas tamen ut aestumo, existumo, lacrumae, lubens, lubido sine ulla dubitatione in archaismorum numero habendas esse. Item Deltourius has formas obsoletas fuisse sentit. Neque enim discrimen inter verborum ut aestumo et superlativi formae aetatem factum agnosci potest. Mea quidem sententia Sallustii aetate aestimo et aestumo, facillimus et facillumus etc. sine discrimine scribebantur. Iam dudum Paldamus pag. 22 Schneidero auctore p. I pag. 18 hoc breviter recteque exposuit; cf. grammaticorum testimonia ap. Schneid. I, pag. 18—25. Ac ne Caesaris Ciceronisque quidem codices et ii quidem optimi ab antiqua, si ita eam dicendam contenderis, scribendi ratione abhorrent, quam et Madvigium et Nipperdeium de emendandis illis meritissimos viros secutos esse videmus.

Ut vero etiam historice demonstrem, meam sententiam, quam supra attuli, revera rectam esse, de hac re Corssenii explicationem in angustum coactam breviter laudabo, qui testimonia iam diligentissime collegit in p. I, pag. 329—340:

pag. 331: „Die lateinische Sprache kannte auch einen Mittelvocal zwischen ĭ und ŭ, der den Grammatikern viel zu schaffen machte. — pag. 332: „Dieser Mittellaut zwischen u und i erscheint meist vor allen Labialen. Die Erörterungen der Grammatiker, ob u oder i in jedem einzelnen Falle zu schreiben sei, sind vielfach unfruchtbar. Der älteste derselben, Quintilian, berichtet nur, dafs zu seiner Zeit ein Mittelton zwischen u und i gesprochen und gehört worden sei. Ob derselbe in der republikanischen Zeit der lateinischen Sprache schon eigen gewesen sei, darüber können nur die Inschriften Auskunft geben". Cf. pag. 332. 333. — pag. 336: „In den Wortformen der republikanischen Zeit ist durch das Schriftzeichen V entweder der entschiedene u Laut ausgedrückt, oder ein mehr nach i hinneigender u Laut. Das Letztere mufs man daraus schliefsen, weil neben jenem u schon seit sehr alter Zeit i erscheint und mehrfach in denselben Wörtern gleichzeitiger Inschriften u und i nebeneinander erscheinen. Das bedeutende Ueberwiegen des u in jenen Wortformen über das i zeigt aber, dafs der nach i hinneigende Laut in der republ. Zeit dem rechten vollen u noch entschieden ähnlicher war als dem i, dem er im Laufe der Zeit immer ähnlicher, endlich meist gleich wurde. — Es ist ein Erbstück aus alter Zeit wenn die Mss. des Plautus überall u schreiben in Wortformen wie legitumus, maritumus, existumo, lubido etc. Nach Angabe von Grammatikern schreiben Caesar und Cicero diese Worte mit i. Nach Cicero's Urtheil war der u Laut in jenen Wörtern im Munde der Gebildeten abgekommen, herrschte aber noch in der *Volkssprache* vor. Im Gegensatz zu Cicero und Caesar soll August wieder u geschrieben haben. Andrerseits wird aber doch erzählt, dafs August und seine Hofleute simus für sumus sprachen und schrieben. Die Aussage des Velius Longius, in den Inschriften des August sei statt i wieder u geschrieben worden, ist indessen dahin zu berichtigen, dafs auch zu Augusts Zeiten in Schriftstücken von Privatleuten und Provinzialbehörden die alte Schreibweise mit u noch beibehalten wurde, während die Gebildeten in der Hauptstadt und die Staatsurkunden i schrieben". Cf. pag. 338—39. — pag. 338: „*Mit den Handschriften ist in dieser Frage nichts auszurichten.*" —

Itaque ex his sequitur, ut inter antiquiorem et recentiorem formam distingui non possit. Quod igitur Sallustius formam pleniorem aut, ut multi et iniuria quidem aiunt antiquam, praetulerit sibi multo magis idoneam, non habemus, cur hac in re nimium antiquorum studium reprehendamus.

vocalis o pro u post v. }
vocalis o pro e post v. } Sallustius semper fere etiam o pro u post v, ut volt, volnus, volgum scripsit. Quod autem non antiquitatem affectantis est, ut antehac vulgo credebatur, cum Quintiliano auctore I, 7. 26 praeeunte consonanti u littera o pro u saeculis praeteritis et Augusto imperatore usque ad ipsam Quintiliani aetatem scribi solita sit. Cf. praecipue Corssenius II, p. 86 sqq., qui iterum optimam explicationem de vocali u attulit. Fabri vero valde erravit formas ut volnus, volgum etc. sine dubio in archaismis numerandas esse dicens, etiamsi apud alios huius aetatis scriptores semper in usu fuerint.

Eodem modo Sallustius verbum vertere eiusque composita „vortere", pronomen vester autem „voster" scribere solet, quam scripturam Fabri archaismum esse iniuria constanter declarat. Itaque cum aetate Sallustii formae vocabulorum antiquiores ac recentiores persaepe promiscue adhiberentur, tantum contendi potest, summo studio et amore eum antiquiores usurpare maluisse, nunquam tamen propterea ullo archaismo, ut vulgo formae huiusmodi appellantur, usum esse.

terminatio os pro or. Hae terminationes leguntur: Cat. 15 col*os*, Cat. 7. 5 et Iug. 100. 4 lab*or*, orat. Cott. § 1 autem lab*os*, Cat. 20. 8 et Iug. 3 hon*os*: Cat. 25. 5 lep*os*; Iug. 44. 4 od*os*.

Ex brevi vocabulorum apud Sallustium in os et or desinentium enumeratione eum multo saepius terminationem os quam or scripsisse satis apparet. Neque tamen sine causa haec terminatio a Sallustio praelata est. Mea quidem sententia hac ipsa potius usus est, cum eam antiquiorem fuisse constet. Cf. Schneider I, 1. p. 343 et Lachmannus ad Lucr. p. II, pag. 423. Sallustius igitur plurimis vocabulis a consuetudine suae aetatis non recessit. Qua de re etiam recentem et rectam quaestionem Corssenius p. I, p. 228—247 attulit, qua facile intelligitur, terminationem os antiquiorem in vocabulis quibusdam a Sallustio solis adhibitis iuxta recentiorem or semper usitatam fuisse. Cf.

Neue I, p. 166 et Buecheler p. 7. — Ex his igitur terminationem os antiquiorem quidem esse, sed imprimis in verbis, quae supra nominavi, semper usitatam fuisse neque quidquam obsoleti propterea Sallustio imputari posse satis manifestum est.

detr*e*ctant an detr*a*ctant. Codd. fluctuant inter formas detr*e*ctant et detr*a*ctant. Iordanus detr*e*ctare scribere solet, tamen semel in fragm. hist. lib. III (reliq. Vatican.) detr*a*ctantibus. Herzogius ad Caes. bell. gall. VII, 4 adnotat, „detr*a*ctare gilt für *echter* und *antiker* als detr*e*ctare". Kritzius, qui in Iug. 53, 8 formam „detr*a*ctant" scripsit, dicit, formam a nobis receptam apud antiquiores in usu fuisse testari Pierium ad Verg. Georg. III, 57 eamque Sallustio placuisse patere ex antiquissimo historiarum lib. III fragmento. Utique igitur forma detr*a*ctare antiquior fuit, cum vocalem „e" ex littera „a" demum ortam esse constet. Nam Schneider p. I, 1. pag. 9 ait: „Am genauesten ist a mit e verwandt und zwar so, dafs gewöhnlich jenes in dieses überging, seltener umgekehrt. Dies erhellt aus Vergleichung der Composita mit den einfachen Wörtern, wobei zu bemerken ist, dafs die Zusammensetzung nicht immer jenen Umlaut herbeiführt, dafs von manchen Wörtern einige Composita denselben annehmen, während Andere den ursprünglichen Vocal behalten z. B. festus, nef*a*stus def*e*stus; ja dieselben Composita z. B. von tracto, partior sind zuweilen in beiden Arten vorhanden". Corssenius autem multo accuratius hanc rem explanans in p. II, pag. 406 sqq. dicit pag. 411: „Die entschiedene Neigung der lat. Sprache in geschlossener Silbe vor gehäuften Consonannten statt anderer Vocale ĕ eintreten zu lassen, bewährt sich auch darin, dafs wurzelhaftes ă in geschlossener Silbe des zweiten Compositionsgliedes falls überhaupt Vocalschwächung eintritt in der Regel zu ĕ geschwächt wird". Pag. 406: „Dafs die Bedeutung des Compositum nicht ganz ohne Einflufs auf Wahrung oder Schwächung dieses ă geblieben ist, ersieht man daraus, dafs in pertractare, attractare, retractare mit dem ă auch die eigentliche Bedeutung von tractare trahere sich deut-

licher erhalten hat, während in contrectare, detrectare, obtrectare, mit der Schwächung des ă zu ĕ die Bedeutung sich von jener weit entfernt und zu einer übertragenen verfeinert hat". — Difficile est demonstrare, Sallustium formam obsoletam usurpasse. Immo vero aetate Sallustii duae formae in usu fuerunt, auctorque modo unam, modo alteram significationis causa aut studio primitivarum formarum commotus elegit.

ecferens. Hanc antiquiorem formam pro „efferens" esse omnes editores uno ore consentiunt. Schneidero teste p. I, 2. pag. 560 et 561, qui tamen optimis temporibus tantum „ef" adhibitum esse iniuria ait. Multo probabilius de huius praepositionis assimilatione disseruit Corssenius I, pag. 154 sqq.:

„Vergleicht man hiermit (d. h. mit der Präposition a u. ab) das Vorkommen der beiden Präpositionsformen ex und e in den voraugusteischen Inschriften, so ergiebt sich, dafs ex in dieser älteren Zeit die weitaus vorherrschende gebräuchliche Form ist. Dafs auch in Compositen der älteren Zeit ex häufiger war als später, zeigen die bei Festus aus alten Sprachdenkmälern erhaltenen Wortformen. Die Form „e" erscheint nur einmal in Inschriften der voraugusteischen Zeit, wo es nicht blofse Sigle ist, in den Verbindungen ee vero (C. I. L. 1011 zw. 134—76 v. Ch.), elege (a. O. 206), e lege (a. O. 593. 1251). Das Monumentum Ancyranum kennt nur die Form ex vor konsonantischem wie vor vocalischem Anlaut des folgenden Wortes, die Form e kommt auf diesem Sprachdenkmal der aug. Zeit gar nicht vor. Die Form ec in Compositen vor f war nach der Ueberlieferung von Mss. in alten Gesetzen und bei älteren Dichtern gebräuchlich und erscheint auch noch später bei Sallust und Cicero; cf.: ecfari poet. antiq. ap. Cic. Tusc. II, 17. 39, ecfatus Ennius ap. Cic. Div. I, 20. 41, ecfata lex antiq. Cic. de legg. II, 8. 20, ecfer Plaut. mil. 451 R, ecferri Ter. Hecyr. 565 Fl.; ecfero (Lucil. XXVI Non. p. 204 Gerl.), ecferant Cic. Non. a. O., ecfatam Cic. Div. I, 37. 81, ecferentem Cic. de off. I, § 124, ecferunt de off. II, 36. 7". „Cum autem hoc verbum, Dietschius inquit, nusquam alias apud Sallustium legatur (Iug. 49. 4 enim plusqpf. est), illud ne quaeri quidem potest, utrum is semper eam formam usurpaverit an h. l. propter orationis gravitatem vulgari praeoptaverit". Duas igitur causas probabiles putassem, cur consulto ab auctore asperior forma posita esset et propter exacerbitatam sententiam et quia graviter commotus erat Adherbalis animus, nisi recentissima codd. collatio ab Iordano facta demonstrasset, prorsus nullam praepositionum assimilationem apud Sallustium inveniri; cf. edit. Iordani. Longum autem est, de omnium praepositionum assimilatione apud Sallustium accurate diligenterque disserere; cf. Corssen I. Satis igitur nobis est constituisse formam „*ec*ferens" in archaismis haberi non posse, cum *ipse Cicero* eam quoque iuxta *formam efferre* (cf. Cic. de off. I, 15. 48 ed. Kais. et Baiter) saepe scripserit.

De Syntaxi.

De positione particulae „igitur". Gerlachius et Dietschius ad Cat. II, 1 Sallustium in huius particulae collocatione antiquos scriptores secutum esse dicunt. „Hanc enim particulam, Gerlachius inquit, a Sallustio in initio orationis poni satis constat. Antiquos scriptores videtur esse imitatus; apud Plautum certe is particulae positus frequentissimus est". Iam autem Dietschius Gerlachii declarationem de collocatione circumscripsit ac definivit; dicit enim hanc particulam a Sallustio semper maiore cum vi in initio sententiae poni, in interrogationibus vero, in quibus vocabulum interrogativum maiore numero efferendum sit, secundum locum tenere: cf. Cat. 20. 14; 51. 43; Iug. 31. 18; orat. M. Aem. 24; semel or. Lic. etiam tertium. „Ceterum „igitur", Dietschius inquit, primo loco ponere magis antiquorum, postponere magis Ciceronis et posteriorum esse satis constat". Ut vero idoneam huius collocationis causam afferat, Dietschius antiquiores maiorem vim particulae esse voluisse putat; huius autem vim tempore procedente paulatim extenuari atque imminui. Nequa-

quam vero recte iudicavit, nam apud antiquiores scriptores, ut Plautum aliis demum particulis additis vox „igitur“ maiorem vim habuit, ut „igitur demum dann erst“ ubi Taubmannus in editione Plauti „igitur“ recte „deinde“ interpretatus est. Quin etiam saepe plane abundare videtur in formulis: „igitur tum, igitur deinde“. Sed in secundo quoque loco antiquiores scriptores particulam igitur posuerunt, ut in conclusione, in qua duo iudicia ratione coniunguntur. Cf. Holtze, syntax. prist. script. usque ad Terentium II, p. 365 et 366. Quibus causis Dietschii sententiam putantis in hac particula principio maiorem vim fuisse plane deleri existimo. Mea quidem sententia Sallustius hac ipsa collocatione omnino non antiquos scriptores imitatus est, sed eam sua sponte idcirco fortasse tam saepe usurpavit, ut oratio brevior, simplicior, clarior videretur. Cuius rei apta causa videtur esse, quod Sallustius multo frequentius (septuaginta quinque locis) hac particula usus est, quam „ergo“ (quater) et „itaque“ (septies et vicies). Huc autem accedit, quod etiam nullus Ciceronis interpres umquam adnotavit, eum propterea antiquiores scriptores secutum esse, quod particulam igitur saepius in primo loco posuisset. Apud Ciceronem enim „igitur“ primum locum occupat: de fin. I, 18, II, 27, IV, 18. 19, V, 30; Tuscul. I, 6, III, 7, IV, 18; de legg. II, 16; de amic. 11; Paradox. 5. 1; Somnium Scip. 7; Acad. IV, 25; de nat. deor. I, 29, III, 20, II, 14; ad Attic. 6, 1, 22; 5, 4, 2; 9, 9 init.; 11, 1; 12, 44; 13, 17; 16, 11; ad fam. 9, 22 etc. etc. Iam vero de particulae igitur collocatione Zumptius recte egit § 357: cf. Ramshorn § 192. 3 et Seyffert in adnot. ad Cic. Lael. pag. 263. Drakenborchius ad Liv. II, 48. 1 aliquot etiam veterum grammaticorum testimonia de collocatione affert ut Prisciani pag. 1210, Servii in art. sec. Donati pag. 1797. Quae testimonia nullo usui esse statim videmus. — Iam vero Lawsius in cap. VII satis probabilem causam affert, qua ubique hanc collocationem declarat: „Equidem cognovi, inquit, hanc coniunctionem, quia conclusionem infert, ante conclusionem, itaque primo loco enuntiati a philosophis et re-

rum scriptoribus, qui in philosophiam incubuerint, ut a Sallustio rectissime poni. Ii soli scriptores, qui ambitui condendo student, hanc fere uni aut duabus vocibus subiiciunt, ut subiectum primo loco ponere possint“. Equidem me omnem illam explanationem allatam multo meliorem putare profiteor, quam Gerlachii et Dietschii existimantium, Sallustium minus solitum genus dicendi consulto elegisse, ut orationi simplicitatem quandam prisci sermonis imprimeret.

De usu praepositionis „in“ cum Accusativo pro Ablativo.

Sallustium praepositionem in cum Accusativo iunxisse, ubi Ablativus potius expectetur viri docti observarunt, ut: in potestatem habuisset Iug. 112, 3, in gratiam habituros Iug. 111, 1, in tumultum erat frag. hist. I, 48. „Sed haec dicendi ratio, quae apud alios quoque scriptores invenitur, Badstuebner pag. 19 inquit, ex celeritate quadam cogitandi vel sermonis negligentia profecta putanda est, quippe qua rei non solum certus status et conditio, qualis per se sit, declaretur, sed simul quomodo ista conditio sit effecta ostendatur, duae igitur res duabus enunciationibus designandae in unum contractae sint, ita ut verba in potestatem habere explicatius valeant: in potestatem accipere et in ea habere. Item in mentem esse a Cicerone usurpatur i. e. in mentem venire in eaque esse“. In eandem sententiam Boetticher in Lex. Tac. pag. 25 explicat, qui zeugma inesse ait in his Taciti locis: hist. I, 87 in custodiam habiti, Germ. 46 in medium relinquam, ubi praepositio in cum accusativo coniuncta ablativum simul complectitur. „Wir glauben, Herzogius ad Iug. 112, 3 inquit, mit Kritz, dafs der Accusativ vorzüglich da stattfinde, wo habere mehr eine transitive oder active als intransitive Bedeutung hat“, qua re hanc insolentem constructionem nondum declarari censeo. A Vechnero (Hellenolex. I. ɪɪ, 16, p. 258) haec iunctura a Graecis repetita antiptosis nominatur. Quam structuram qui praeeuntibus Vossio de constr. c. LXV p. 252. Cortio ad Cat. 19, 3 aliis, ita explicant, ut Accusativum pro

Ablativo ἀρχαικῶς positum dicant, quemadmodum ***Langio*** et ***Gerlachio*** videtur, ii nihil plane egerunt. Non melius rem perspexit Gell. I, 7; praeterea cf. Goerenz ad Cic. de legg. III, 17, 37 et Ramshorn § 150, 2 not. 2 pag. 470, qui in potestatem esse aut habere „zur Disposition sein, haben“ vertunt. Sed cum ista interpretatio plerisque locis parum conveniat neque valeat ad alias dictiones, ut „in tumultum erat“, eiusdem generis illustrandas, talis ratio ineunda est, quae ***omnes*** huius insolentiae species comprehendat. Cuius rei accuratissimam explicationem Corssenium I pag. 263 fecisse censeo, qua omnia usque adhuc dicta refutentur et deleantur. Haec autem est summa acutae historicaeque Corssenii quaestionis, quam brevissime afferre mihi liceat:

Pag. 265: „Verrius Flaccus erklärte den Ton des auslautenden m für so schwach, daſs er zum Ausdruck desselben in der Schrift nur das halbe Schriftzeichen N verwenden wollte. Die Schwäche des auslautenden m bethätigt sich nun einmal darin, daſs es sich im Zusammenhange der Rede bisweilen dem anlautenden Consonanten des folgenden Wortes zu n assimiliert, vor dem es im Inlaut des Wortes dieselbe Assimilation erleiden würde. So sagen Cicero (Orat. 14, 145) und Quintil. VIII, 3, 45 übereinstimmend, daſs man im Zusammenhange der Rede cun nobis sprach für cum nobis. Aber auch ohne die Einwirkung von Assimilation findet sich in spätlateinischen Inschriften für auslautendes m : n geschrieben“.

Pag. 266: „Das auslautende m bethätigt seinen schwachen und matten Ton auch darin, daſs es vielfach in der Schrift nicht bezeichnet wird und zum Theil auch in der Aussprache schwindet“.

Pag. 267: „In den ältesten Inschriften der republikanischen Zeit ist auslautendes m bald geschrieben, bald nicht und zwar währt dies Schwanken bis in das Zeitalter der Gracchen und des Cimbernkrieges, doch vereinzelt kommen auch später noch Beispiele vor, daſs dieses m nicht geschrieben wurde bis in die

Zeit des Augustus. Dabei darf man jedoch nicht übersehen, daſs in den Römischen Gesetzesurkunden des zweiten Jahrh. n. Chr. das auslautende m des Accusativs mit sehr vereinzelten Ausnahmen regelmäſsig geschrieben wurde. Wenn in dem Briefe der Consuln Q. Marius und Sp. Posthumius vom Jahre 186 n. Chr. an die Teuraner über den Senatsbeschluſs wegen der Bacchanalien das auslautende m des Accusativs ohne Ausnahme immer geschrieben ist, so muſs man daraus folgern, daſs dies seit dem Zeitalter der Kriege mit den Königen Philipp von Macedonien und Antiochus von Syrien bei den Gebildeten die feststehende Schreibweise war, die also der Etymologie der Accusativform folgte. Wo nach dieser Zeit das auslautende m derselben nicht geschrieben wurde, sind dies Nachklänge der alten Schreibweise, die der volksthümlichen Aussprache folgte. Daſs es aber in der Volkssprache der Zeit von Cicero bis auf Titus, also im Blüthezeitalter der römischen Litteratur, nur ein matt nachklingender, kraftloser Laut war, zeigen die flüchtig eingekratzten oder aufgepinselten Wandinschriften der Pompejaner. Seit dem dritten Jahrhundert zeigt sich der Abfall des auslautenden m von Nominalformen auf Inschriften vielfach, weil es in der Volkssprache dieser Zeit nicht mehr gehört und gesprochen wurde. Schlieſslich wuſsten die Steinmetzen nicht mehr, ob das m, das sie noch geschrieben, zum Accusativ oder Ablativ gehörte und es daher auch gelegentlich an den Ablativ anflickten, da es ihnen ein wesen- und klangloses Zeichen war. Vereinzelt kommt dies zwar auch schon in älteren Inschriften vor“. „Daher, Buecheler pag. 24 recte inquit, seit dem dritten Jahrhundert unserer Zeitrechnung der Ablativ folgt auf Praepositionen, die den Accusativ und der Accusativ auf solche, die den Ablativ regieren, indem syntactische Regellosigkeit und Verwirrung sich in die Hand arbeiteten“.

Iam vero Klotzius in lex. II pag. 66 s. v. „in“ etiam aliam et ut videtur aptam adnotationem fecit, quae a Badstuebnero et Corssenio sententias de hoc structura prolatas coniungere studeat.

Quocunque modo constructiones eiusmodi ut in potestatem habere, in gratiam, in custodiam habere, in mentem, in ditionem esse natae sunt, in archaismis nunquam numerari possunt, Sallustiusque propterea ab usu archaismi liberandus est, cum omnes omnium aetatum auctores, quin etiam Ciceronem ipsum huiusmodi iuncturas saepe adhibuisse sciamus. Ceterum legimus Iug. 103, 6: in benignita*te* habebantur.

Affatim et abunde cum Accusativo.

„Haec et alia adverbia huiusmodi, Gerlachius ad Iug. 54 inquit, Sallustius more antiquae locutionis non substantivorum instar construere solet“. Sed ita profecto res se habet: Sallustius voces abunde et affatim cum Genitivo non coniunxit, cf. Cat. 21, 1; 58, 9; Iug. 14, 18; 63, 2; 102, 7; orat. M. Lep. 26; Iug. 45, 6 etc. Eodem vero modo apud Ciceronem adverbium „satis“ cum Genitivo non coniungitur, sed adverbium solum ipsum legitur. Recte Ruddimannus dicit, in his similibusque adverbium absque casu poni, accusativum vero regi a verbo. Quae tamen consuetudo semper vulgaris fuit. Gerlachius ergo adverbia illa more antiquae locutionis Sallustium construxisse falso iudicavit. Multo enim rectius et melius declarasset, Sallustium adverbia abunde et affatim contra vulgarem dicendi usum nunquam cum Genitivo iunxisse, sed aut cum adiectivo ut Iug. 1, 3; 85, 2 aut cum verbo „esse“ ut Iug. 102, 7; 85, 10; fragm. III, 82, 26.

Verbum simplex pro composito.

Gerlachius ad Cat. 5, 6 „rei publicae capiundae“ haec verba recte „regni occupandi“ declaravit, sed adiecit, „*prisco more*“ verbum simplex compositi vim habere. Saepe autem Sallustius verba simplicia pro compositis adhibuit (quod etiam Tacitus diligenter imitatus est, cf. Dräger Stil und Synt. d. Tac. § 25 pag. 8, ubi permulta exempla proferuntur), ut Iug. 98, 3 quaerere pro requirere, cf. Cic. in Verr. II I, 10, 29; Iug. 85, 18 capere pro accipere, cf. fragm. I, 84 et Iug. 82, 1. Attamen Cicero ipse hunc usum adhibuit, cf. Corte ad Sen. de benif. 5, 16. Itaque quamobrem Gerlachius magna cum gravitate verba „*prisco more*“ addiderit, praesertim cum hic usus apud omnes omnium temporum scriptores Romanos et apud poetas inveniatur, dici nequit. An Gerlachius credidit, Sallustium ita scripsisse, ut generi dicendi maiorem antiquitatis colorem attribuerit, quod facile coniici potest, cum idem vir simili ex causa adnotationem in Cat. 6 ad v. pollens fecisse videatur. „Quae quidem iunctura, inquit, in antiquis foederum formulis saepius legitur“. Quam iuncturam apud alios quoque scriptores saepe inveniri lexica indicant. Qua de causa hanc adnotationem Gerlachius scripserit, profecto nescio, nisi forte hoc quoque loco suam sententiam secutus sit, Sallustium ea ex causa, quam supra saepe iam attuli, eiusmodi iuncturas verbaque rariora diligenter quaesisse.

adeptus. Krebsius in Antibarbaro s. v. adeptus adnotat: „In passiver Bedeutung, theils *altlatein und noch bei Sallust,* theils bei Tacitus und Sueton. Bei Cicero de sen. c. 2 schwanken die Mss.“ Sallustius decies deponentialem huius verbi naturam non neglexit, cf. Cat. 11, 7; 23, 6; 39, 4; 54, 3; 61, 7; Iug. 4, 4; 20, 1; 41, 4; 77, 3; 85, 1. Sed Cat. 7, 3 et Iug. 101, 9 participium perfecti passiva significatione dixit. Tamen aliorum quoque verborum participia saepe passiva vi Sallustius adhibuit, quae vulgo apud alios scriptores vim deponentialem habent velut Cat. 48, 7; fragm. II, 29. 3; III, 38 machinatus, Iug. 17, 7 interpretatus, 25, 2 enisus, 58, 3 frustratus, Iug. 50, 4 ludificatus, fragm. I, 36 dilargitus. Recte Dietschius ad Cat. 7, 3 animadvertit, verisimile esse, his obsoletis formis usos esse scriptores in talibus locutionibus, quae vulgo multum usurpatae, consuetudine ex antiquitate traditae essent, cf. Holtze II pag. 17 sqq. et Badstuebner pag. 46, qui de usu participii apud Sallustium satis accurate disseruit. Qua rectissima Dietschii causa allata propter usum nonnullorum eiusmodi participiorum Sallustium nondum in vitium archaismi delapsum esse puto, sed id, quod supra dixi,

iterum iterumque repeto, his insolentibus formis frequenter adhibitis antiquiorem aut rariorem loquendi usum sequi eum maluisse, ut oratio generi maiorum dicendi similior fieret. Itaque quamquam haud nescio participium adeptus aurea latinitatis aetate ut a Cicerone nunquam passive usurpatum esse, Sallustio ipsi propter analogiam ceterorum verborum ita scribere placuit.

ad imperandum. „Facile credideris, Gerlachius ad Iug. 62, 8 inquit, antiquiorem formulam a Sallustio esse expressam". Copiosissima autem ac doctissima dissertatione ad h. l. Kritzius eorum refutavit sententiam, qui gerundium interdum passiva vi esse contenderant. Scilicet eius erroris Romani ipsi ansam dederunt, cum minus diligenter gerundium aut ad aliud, quam quod enuntiati est, subiectum referrent, aut substantivi verbalis instar ponerent, quod in Genitivum potissimum cadit; cf. Kritz, Dietsch, Iacobs ad Iug. 62, 8, Madvig gramm. lat. § 418: ad h. l. Utut res se habet formula „ad imperandum" est technica rei militaris „zur Ordre, zum Commando" usitataque videtur fuisse neque ostendi potest, Sallustium antiquiorem usum secutum esse aut contra suae aetatis consuetudinem scripsisse. Itaque Kritzii opinio probabilis verisimilisque est, hanc locutionem ex usu sermonis cotidiani quasi in formulam solemnem abiisse, et ea ductum Sallustium quoque usurpasse. Utique tamen quilibet concedet, Boetticherum in lex. Tacit. p. 234 vehementer errasse absurdeque dixisse, qui nostro et Ciceronis loco (epist. ad fam. IX, 25, 3) effici putet, **verbum imperare prisco more plane idem voluisse quod „parere".**

cum cum indicativo. Haec structura invenitur in fragm. I, 60: „et incerto onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur". Plane falso consuetaque negligentia Gerlachius „ex more priscae linguae dictum" indicativum censet, facile sane opera explicandi negotio defunctus. Indicativi ex cum particula pendentis vim Kritzius illustravit ad Iug. 52, 5. Quis enim est, quin intelligat, hoc loco particulam „cum" significationem temporalem habere, quare indicativus recte scriptus est, cf. Madvig gramm. lat. § 358 et Dietsch ad Iug. 102, 5.

laetitia est cum te talem virum dimonuere. De hac constructione Madvigius recte adnotat: „Bei laudo, gratulor, gratias ago, gratia est findet cum sich mit dem Indicativ in derselben Bedeutung als quod dafs, weil, z. B. gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam (Cic. ad fam. IX, 14)". Quodsi Fabri ad Iug. 102, 4 dicit, post verba et formulas ut gratulor, gaudeo, gratias ago, gratia est antiquiorem linguam non raro particulam cum eodem sensu quo „quod" usurpasse, nondum accipiendum est, Sallustium propterea archaismum aut quidquam obsoleti scripsisse. Eundem enim usum apud Ciceronem quoque post eas formulas saepe invenimus, cf. Cic. epp. ad fam. IX, 14, 6; XIII, 24, 3; VII, 28, 2; XVI, 12, 12; de fin. III, 2, 9; cf. Drakenborch ad Livium XXXIX, 7. Rectissime autem hanc rem explicavit Dietschius ad Iug. 102, 5. „Particulam cum, inquit, ubi explicativam vim habet („indem"), quoniam quae sic coniunguntur, non tam caussali nexu continentur, quam temporis coniunctione, quamquam sunt, qui eum usum ab conditionali eius particulae significatione repetant, indicativum regere constat.

In quo dicendi genere cum minus accurate definiatur ratio, quae inter duas res intercedit, antiquiorum maxime temporum, quorum simplicitas sermonis propria est, lingua nondum multo litterarum usu exculta, eam consuetudinem fuisse, apud Ciceronem eiusque aequales, potissimum in talibus formulis, quarum multus in vita communi usus, ut gratulor, gratias ago, gratia est retentam esse non mirum est". Sallustio igitur ex hac explicatione particulam „cum" adhibere licuit, ut nihil obsoleti neque quod ab suae aetatis consuetudine loquendi alienum esset scripsisset.

De usu indicativi.

Duabus Lawsii et Herzogii adnotationibus coacto quae Sallustii fuerit indicativi usurpandi ratio paucis requirere mihi li-

ceat. Herzogius enim ad Iug. 106, 3 dicit s. v. „quos ducebat“: „Es scheint in dem Wesen des *latein. Archaismus*, der sich von dem griechischen Colorit nicht zu trennen (?) vermochte, zu liegen, die Bekleidung der Nominalbegriffe als unabhängig von der logischen Form des ganzen Satzes zu behandeln; dieser *archaistischen* Weise huldigt Sallust aus Eigensinn oder begründeter Vorliebe“ et Lawsius: „Indicativum, qui in oratione obliqua a Sallustio haud raro positus est, equidem ex hoc abrupto sermonis genere quod hic auctor se applicans ad rationem dicendi antiquitatis adhibet repeto“. Cuius rei has duas causas rectas esse nego operamque dabo, ut accuratius et melius de hac re difficili disputem.

In sententiis obliquae orationi insertis quae aut non pendentes ex aliena mente ab ipso scriptore adduntur aut rem omnino veram atque factam exprimunt aut ita comparatae sunt, ut si quid ex aliena mente narratur, id tamquam praesens scriptoris animo observetur, Sallustius indicativo pro coniunctivo tam saepe utitur, ut eas quae vulgo de ea re proponuntur leges utique neglexerit. Kritzius autem de ea re statuit ad Cat. 14, 7 haud raro in oratione obliqua auctoris quadam negligentia fieri, ut enuntiatio secundaria ex mente alterius proferenda, ab auctore ut sua exhiberetur. Ac Gerlachius III, pag. 324 Graecorum imitationem cognovit, quod Herzogius ad Cat. 27, 4 probavit, qui a Dreisio (prolegg. in Sall. opera, Kiel 1837) pag. 16 iure ac merito refutatur. Walchius emend. Liv. pag. 191 sqq.: „Historici ut in aliis rebus multis recedunt a vulgari modo, ita dum interiiciunt quasi e sua persona dicta, antiquitatis colorem et duritiem orationis affectant“. Sed cum apud alios eosque probos scriptores velut Ciceronem ipsum huius rei exempla reperiantur, existimare non possum eos colorem antiquitatis affectasse, immo vero arbitrio suo usos esse scriptores, ut quem potiorem haberent, modum eum anteponerent. Sallustium quoque hanc legem secutum esse concedendum videtur. Quocunque modo res se habet, apud nostrum auctorem permulta quidem exempla leguntur in quibus

indicativus loco coniunctivi insolentius usurpatus est. Attamen exempla, in quibus est indicativus, paria fere iis sunt, ubi oratio obliqua recte procedit. Loci igitur, qui grammaticorum praeceptis repugnare et ab iis longius discedere videntur, hi fere sunt, cum enumerare omnia longum sit: Cat. 14, 7; 17, 7; 21, 3; 27, 4; 30, 6; 50, 3; 51, 32, 37, 43; Iug. 16, 2; 29, 1; 35, 4; 38, 9; 54, 1; 106, 3 etc. etc.

Itaque satis apparet saepe indicativum in oratione obliqua cum a reliquis rerum scriptoribus Romanis, tum a Sallustio haud raro etiam ibi positum esse, ubi enuntiatum secundarium ex ipsius scriptoris mente adiectum dici non possit. Mea quidem sententia omnino constituere difficillimum est, utrum indicativus an coniunctivus rectior meliorque sit et qua causa Sallustius ipse insolenter indicativus pro frequentiore coniunctivo et id quidem tam saepe adhibuerit. Equidem dubito an recte iudicaverint, qui archaicos scriptores imitatum eum esse contendant, cum optimos quoque scriptores hunc indicativi usum saepenumero usurpasse viderimus. Qua de re mihi quidem Dietschius rectissime videtur egisse. Cuius rei causa Dietschio et in obliquae orationis natura et in scriptoris ingenio posita videtur esse. „Cum enim, ille inquit, indirecta oratione alius non ipsa verba tradantur, sed quid dixerit, senserit, cogitarit referatur in proclivi est, ut ea membra quibus res factae commemorantur, non cum illius oratione consocientur, sed simpliciter narrentur atque etiam multo minus id mirandum est, in eo scriptore qui semper fere magis quid, quam qua ratione dicendum esse curaverit.“

De indicativo in *apodosi* enuntiationis conditionalis, quem Sallustius etiam saepe adhibuit Iug. 85, 48; 42, 5; Frag. III, 82, 1, 11 (cf. Zumpt § 519 et Madvig 348), quibus explicationibus satis cognoscitur, eum tantum linguae latinae leges observasse.

Deinde in enuntiatis a *quippe qui* incipientibus, quae apud Ciceronem semper coniunctivum modum adsciscunt, apud Sallustium indicativus legitur, quod Kritzius ad Cat. 48 bene explicuit,

has sententias non tam arte esse cum prioribus coniunctas, ita ut enuntiatis particula „nam“ adiunctis simillima viderentur.

Adverbium „quippe“ enim eodem modo ab adverbio „qui“, quo „nempe“ a „nam“ factum videtur eamque vim habet ut causam et rationem rei commemoratae reddat. Quapropter nullo modo Lawsii sententia recta videtur esse putantis in hac quoque re Graecos Sallustium imitatum esse. Ne altius repetam Sallustio plerumque hic totus indicativi usus cum aliis probis scriptoribus communis est, ita ut antiquos scriptores eum imitandum usumque ipsum, quem supra exposuimus, in archaismis habendum esse concludi non potest. Immo vero in scriptoris ingenio et in abrupto sermonis genere hic usus positus est, quod liberiorem scribendi modum permittit quin etiam saepissime nobis insolentem brevitatis causa postulat. Itaque postremo contra Herzogii, Walchii, Lawsii sententias dico hic quoque nihil esse, quod vel a Sallustio per libidinem mutatum vel a linguae latinae ingenio grammaticaeque artis praeceptis alienum videatur.

ε) De singulis vocabulis formulisque loquendi.

adoptatio. Allgeier in Krebsii Antibarbaro dicit s. h. v.: „adoptatio und adoptio sind beide klassisch und gut und die erstere ältere Form auch in einigen Stellen Ciceros z. B. Tusc. I, 14, 31 (quo tamen loco editio Baiteri et Kaiseri „adoptiones“ habet) et orat. pro Balbo 25, 57. Nachklassisch und später wurden die kürzeren Formen vorgezogen“. Itaque etiam apud Ciceronem hae formae fluctuant. Quodsi probabile videtur vocabulum adoptatio antiquius esse, cum in aliis verbis antiquiores formas praetulerit veri non dissimile est, hoc eum praeoptasse, ut eadem forma usus est Gell. N. A. 5, 19, archaismorum amator. Credamus autem necesse est, temporibus Sallustii Ciceronisque ipsius formam longiorem nondum obsoletam, sed duas formas etiam in usu fuisse.

aerumna. Haec vox, quam antiquis maxime scriptoribus usitatam fuisse Gerlachius dicit ad Iug. 14, 7, apud Sallustium quoque saepenumero invenitur. At contra Dietschius ad Iug. 14, 7 non infrequentius esse apud Sallustium quam apud Ciceronem: cf. Cat. 51, 20; Iug. 14, 7 et 23; 24, 10; 49, 3. Ubique significat ea, quae animum sollicitant et perturbant. Vocabulum ‚aerumna‘ ergo tam excellens est, ut Sallustius sine dubio eo uti potuerit. Brevem autem et rectam de huius vocis usu historiam Allgeier attulit in Antibarbaro, qua cognosci potest, sententiam meam iustam esse: „Dieses Wort ist nach Cicero de fin. II 35, 118 das verbum tristissimum für labores non fugiendos. Obgleich zu Ciceros Zeit schon etwas veraltet, ist es doch ein ganz und gar passendes Wort, wenn man von Leiden und Mühseligkeiten im Superlativ sprechen will. So bei Sallust Cat. 51. Wenn Quintil. VIII, 3 28 sich gegen dieses Wort erklärt, so kann man dieser Auctorität eine andere, die von Cicero selbst entgegenhalten de orat. III, 38, 153, wo er für den allerdings sparsamen Gebrauch solcher Wörter sich ausspricht, weil die Rede dadurch an Erhabenheit und poetischem Colorit gewinnt. Demgemäſs hat Cicero auch öfters dieses Wort gebraucht und nicht blos in philosophischen Bestimmungen“. Itaque adnotatio Gerlachii falsa parumque accurata est; nam Sallustius hanc vocem ad summam tristitiam describendam adhibuit neque omnino antiquos scriptores imitatus est.

Aes. Hoc vocabulum de pecunia dictum apud Sallustium nisi in his formulis „aes alienum Cat. 14, 2 et aes mutuum Iug. 92, 2“ non legitur neque eius neque Memmii aetate in universum vix commode dici potuit, cum iam diu argentei nummi in usu essent. „Aut igitur, Dietschius inquit, Sallustius antiquitatis speciem quaesivit, aut, cum aes esset vilissimum metallorum genus, augere voluit oppositionis vim, vilissimos servos dicens“. Altera autem causa recta sola est, cum aes opponatur verbis „imperio nati“, ut sententia haec sit: „Sclaven für *ganz geringes* gemiethet, ertragen schon nicht den Befehl ihrer Herren, ihr aber,

Quiriten und mit dem *imperium ausgestattet* ertraget gleichmüthig die Knechtschaft".

animum advertere. Animadversio Herzogii ad h. v. plane falsa est. Qui in editione sua Caesaris bell. gall. I, 24 dicit: „animum advertit" ein *archaismus der bei Sallust Iug.* 93, 2 u. a. m. O. *sogar advortit nicht verschmähte.* Quod ad scripturam attinet Seyffertius ad Cic. Laelium pag. 542 recte ait. Si autem ad constructionem respicitur Herzogius archaismum videns vehementer erravit. — Tamen Dietschius Ciceronem „aliquid animadvertere" non dixisse et Sallustio id cum veteribus comicis commune esse adnotavit. Neque id dubium est, quod contra Fabri sententiam dico, quin haec iunctura tantum in neutro pronominum genere locum habeat. Qua de constructione etiam Seyffertius pag. 547 recte disseruit: „animum advertere unterscheidet sich nur formal von animadvertere und wird nicht blofs mit dem Accus. c. Inf. oder mit allgemeinen Accusativen wie hoc, haec, id, u. s. w., sondern auch mit bestimmten Objecten, selbst von Cicero verbunden". Exempli gratia cf. Cic. Tusc. III, 20, 48; V, 23, 65. Adiici etiam potest, Caesarem imprimis hoc vocabulum adhibuisse. Quae cum ita sint, Herzogio archaismum videnti nihil adsentiri possum.

animum gerere. Cur Gerlachius (Iug. 54, 1) *prisce dictum* censeat equidem non intelligo. Quae locutio Ciceronis quidem aetate minus usitata videtur fuisse, sed tamen legitur Paradox. V, 2. 37. — Iuncturae autem cum verbo gerere sunt frequentissimae ut animum, curam, morem, odium, amicitiam praecipueque dicuntur de animi habitu. Itaque haec locutio neque prisca est neque ullam offensionem in se habet.

aptis armis. Aptus voci Freundius in lex. h. v. pag. 319, Kritzius ad fragm. III 86 inquit, haud recte vim adiectivi tribuit interpretatus „commodis" „idoneis", quod huic loco parum convenit. Participium esse verissime Douza, ablativos modi sic explicans: armis aptis, expeditis atque ita compositis ut ubi usus veniret ad manum atque in promptu esse possent. Patet

igitur Sallustium prisci verbi „apere" participio usum esse pro tritiore frequentativo aptare. Neque vero huius participii usus archaismus nominari potest, cum Cicero quoque hoc eadem significatione utatur; cf. Cic. Tim. 5, de nat. deor. II, 38, 97; orat. 70, 235.

arbusta. „arbustis, Gerlachius ad Iug. 48, 4 adnotat, pro arboribus antique dictum esse". Rectum quidem est saepissime „arbusta" pro arboribus dicta esse neque vero e sermone antiquo sumptum sed, ut Gessner in thesauro vere ait, poetas ipsos simpliciter arbusta posuisse pro arboribus. Sic saepe Lucretius, Vergilius, Horatius. Cicero quoque de sen. 15, 54 hac voce utitur, ubi Catonem finxit. Quamquam igitur numerus singularis eius nominis a Catone de re rust. VII de arbore dictus est, tamen pluralis hoc loco non idem est atque arboribus, sed collectiva significatione quasi arborum ordinibus („mit Baumweinpflanzungen").

auxilia portare. Kritzius hanc adnotationem ad Cat. 6, 5 facit: „portabant pro vulgari ferebant". Monuit Ruhnkenius ad Ter. And. II, 2, 1, Hecyr. III, 6, 3 hoc sensu fere de aliqua re magna sive bona sive mala dici. Ruhnkenium sequitur Lud. Doederlinus Syn. lat. I pag. 150 portare ut frequentativum ferre, docens de rebus gravioris ponderis dici quod etiam de iis locis valere videtur, quibus commode traiicere vel transmittere sumi potest, velut Iug. 37, 5; 39, 4; Tacit. Ann. II, 17 extr. Cui explanationi Fabri et Herzogius plane adsentiuntur. Gerlachius autem antiquorum maxime scriptorum imitationem quandam Sallustii sentit. Fere mihi autem id egisse ille videtur, ut demonstraret, Sallustium *ubique* antiquos tantum scriptores imitatum esse, quam sententiam absurdam existimo. Contra vero doctissimam aptissimamque huius formulae interpretationem Dietschius fecit. „Insolens, inquit, locutio qua nescio an nullus alius scriptor usus sit". Cf. Allgeier in Krebsii Antibarbaro s. h. v. Amat vero Sallustius verba ipsa graviora et portare verbum frequentativum esse Doederlinus demonstravit.

claudere. Verbo claudere antiquiore forma pro verbo claudicare utitur Sallustius fragm. III, 25 et inc. fragm. 76, 98. Cicero tamen ipse multis locis ut Brut. 58, 214, orat. 51, 170, Tusc. V. 8, 22 hoc verbum usurpavit, ut Sallustium nullum archaismum scripsisse persuasum habeamus; cf. Neue II, 327.

contra ineptum venire. Equidem cur Sallustius h. l. simplicitatem quandam *prisci sermonis* exprimere voluisse videatur, ut Gerlachius ad Iug. 25, 6 observavit, intelligere non possum. Brevitatem quandam pro „inceptis eius obviam ire“ profecto nemo infitiabitur. Sed breviter in multis proprietatibus habenda est, quibus ab aliis scriptoribus differt, quapropter iam in antiquitate iure subtilissimus brevitatis artifex nominatur. Quo loco Gerlachius iudicium illud facere nihil potuit, quia Cicero ipse sententias eiusmodi ut contra aliquem aut aliquid venire saepe adhibuit: cf. Mur. 4, 9; Philipp. II, 2; Verr. II, 43, 107; Cic. epist. 10, 9. Cum vero Sallustius saepius hac structura usus sit Iug. 31, 6; 83, 3; equidem eum Graecos imitatum esse censeo, qui participia substanstivorum instar cum praepositionibus praecipue coniunxerunt. Praeterea autem multi Sallustium a Thucydide pendere nec tantum multas huius sententias in suos libros eum transtulisse et multas verborum compositiones totumque scribendi genus expressisse affirmant, sed etiam praecipuum illud scribendae historiae exemplar secutum esse. Quam totam opinionem maxime respiciens ad verba et sententias recensuit in prolegg. ad Thucydidis editionem vir doctissimus Poppo I pag. 372—384, cf. Quintil. X, 1, 101 et Lilie observat. gramm. in Sall. Iauer 1870. 4.

dolentia illis. Dolet mihi apud antiquiores scriptores dici pro dolorem mihi affert Kritzius et Dietschius recte quidem dicunt, cf. Plaut. Epid. I, 2, 44, Men. II, 3, 84, Capt. I, 2, 49, Cist. II, 1, 20, Ter. Eun. I, 2, 3, Adelphi IV, 5, 48. Eos autem imitatum esse Sallustium et Cicerone excepto qui semel ita scripsit in epist. ad Brutum I, 17 neminem alium ita locutum esse videri nullo modo concedere possum. Contra ipse Cicero *saepe*

structuram „dolet mihi“, cf. de orat. I, 53, 230, Mur. 20, 42 etc., adhibuit. Multo accuratius dici oportet, participium dolens activa significatione perrarum esse, saepius contra dolet mihi impersonaliter cum Dativo iunctum. Herzogius insolentem illam constructionem declaravit: „dolentia, inquit ille, fasse man absolut, wie unser schmerzlich, illis als Dativ des entfernteren Objectes, Dativ incommodi, nicht als abhängig von dolere wie Kritz annimmt“. Nolo autem perscrutari, utrum analogia constructionis „dolet mihi“ hanc rariorem structuram effecisse an Herzogii declaratio recta sit. Sallustium vero antiquos scriptores imitatum non esse unus quisque intelliget.

exitium. Gerlachius ad Cat. 55 adnotat Festo auctore antiquos exitium pro exitu exposuisse, et Fabri: „Die Lesart exitium, die die meisten und besten Codices haben, wird auch durch die Bemerkung des Festus, dafs die *ältere* Sprache exitium für exitus gebraucht habe, unterstützt“. Initio quidem „exitium“ eandem significationem quam exitus habuit, postea vero vulgo exitium pro *pessimo* exitu (ut hoc quoque loco) cum ab omnibus scriptoribus tum a Cicerone ipso saepius usurpatum est. „Quamobrem cave, Dietschius recte inquit, Sallustium obsoletorum verborum insimules atque exitium pro simplici „exitum“ dictum putes. Nam hoc quoque loco exitium est pernicies, interitus, extinctio, non simpliciter finis“. „Sallust's Stil, Herzogius eodem modo inquit, und die Codd. unterstützen exitium statt exitum vitae nicht nur als gleich bedeutend, sondern als weit nachdrücklicher das tragische Lebensende andeutend“. Cuius vocis plurali Sallustius utitur fragm. I, 45, 25, qui tamen etiam apud Ciceronem legitur, cf. de fin. V, 10, 28; de legg. I, 12, 34; pro Mil. 2, 1 u. 5; Agr. II, 4, 10.

facundia. Apud Ciceronem et Caesarem haec vox et quae cum ea cognata est facundus non invenitur, quamvis hoc vocabulo utendi duobus scriptoribus occasio frequens fuerit. Sallustius autem duo vocabula saepissime adhibuit ut Cat. 53, 3; Iug. 30, 4; 63, 4; 102, 4; 85, 26; 95, 3. Vox „eloquentia“ contra

bis legitur, Cat. 45, 4; 54, 1; „eloquens“ nusquam. Dietschius ex sermone vulgari postea demum in usum venisse et ita distingui ab eloquentia arbitratur ut nostrum „Sprechfertigkeit“ ab „Beredsamkeit“. Fortasse autem hoc ipsum vocabulum Sallustius elegit, ut distincte copiam facultatemque dicendi exprimeret, ut nullam imitationem accipi necesse non sit.

hostem ferire. Fabri ad Cat. VII, 6 dicit: „Eigentlicher *alterthümlicher* Ausdruck vom Verwunden oder Erlegen eines Feindes (Cic. Balb. 22 extr.) gebraucht. Sallust hat ihn noch Cat. 60, 4; Iug. 50, 4; 85, 33“. Neque vero verbo Fabri *„alterthümlich“* commotus nos credere oportet, Sallustium priscam obsoletamque formulam adhibuisse. Multo enim clarius et melius hanc formulam explicat Herzogius: „Nicht vincere, occidere, fere ut nos: Den Feind schlagen, wie Lange ad. h. l., ferire ist unser treffen nämlich mit dem Schwerte zunächst: cominus pugnando. Iug. 6, 2 leonem atque alias feras — ferire. Daher securi ferire Cic. Verr. I, 30; Hor. Od. I, 1; II, 10, 11. Der Ausdruck war entlehnt aus der Fechterschule, cf. Ruhnken ad Ter. Phorm. I, 1, 13. Ueber das bildliche foedera ferire giebt Cic. de inv. II, 30, 91 Andeutung und Liv. I, 24 erklärt die Sache“. Itaque haec formula *„alterthümlich“* appellari non potest, cum in vita cotidiana et Sallustii tempore usitatam fuisse eamque in formulis usu sancitis esse numerandam putem.

ignoscere quam persequi. Iam Kritzius ad Cat. 9, 5 rectissime dixit, errasse Gerlachium haec absolute dicta censentem, quippe quae ratio simplicior sit et magis ex more *priscorum* auctorum. Omnes vero „ignoscere“ omnino absolute poni posse concedent velut in fragm. I, 51, 6. Ad verbum „persequi“ autem ex praecedentibus „accepta iniuria“ accusativus supplendus est. Persequi de poena ob aliq. rem repetenda eodem modo quo h. l. dictum est Iug. 14, 23 tuas iniurias persequar, cf. ad Iug. 39, 5; 102, 5; Cic. pro Mur. 21, 44; Philipp. XIII, 10, 39 et interpretes ad h. l. Itaque hoc quoque loco Gerlachius iterum a iusta sententia longe aberravit.

impensius modo. Hac formula Sallustius utitur Iug. 75, 1; 47, 3 significationemque habet: „supra modum“. Gerlachius ad Iug. 47, 3 „modo“ ad comparativum additum, abundantius dictum et haud dubie ex antiquo sermone repetitum adnotat. Quam opinionem Gerlachius ne ullo quidem exemplo demonstrare non potuit. Multo autem distinctius iudicasse Dietschius videtur, quamquam ne is quidem exemplis sententiam confirmavit, usum illum magis vulgaris consuetudinis, quam politioris sermonis fuisse. Certe ex Ciceronis et Caesaris scriptis praeter epistolarum illum locum (Cic. ad fam. XIII, 64, 5) nullum equidem exemplum novi. Quae formula simpliciter in iis numeranda est, de quibus nobis insolentibus Zumptius § 484 disserit.

imperatores. Non plane recte Gerlachius ad Cat. 6, 7 Sallustium *priscam* huius vocis significationem h. l. expressisse dicit. Multo enim accuratius addidisset „antiquiorem“ significationem, cf. Varro de l. l. IV p. 16. Neque tamen hic verbi usus in archaismis habendus est, cum omnes scriptores antiquiore vi, ut videtur, saepe ita usi sint, ut omnino qui in civitate rebus praeessent significarentur.

malum. Malum pro poena antique dictum esse Gerlachius censet documentoque est versus antiquissimus Saturnius: „Dabunt malum Metelli Naevio poetae“. Quamquam igitur constat imprimis in comoediae Plauti et Terenti sermone malum pro poena usurpari (cf. Lorenz ad Plaut. most. v. 845, mil. glor. v. 491), tamen infitior, Sallustium antiquo aut prisco more hanc vocem adhibuisse, praesertim cum apud Ciceronem ipsum haec vocabuli significatio saepe legatur; cf. Cic. de fin. II, 22, 71; in Verr. II, 59, 145; ad Att. 7, 2. Itaque Sallustium eam tantum significationem aetate sua usitatam scripsisse videmus.

memorare. Hoc verbum antique dictum pro narrare et ita apud Plautum occurrere, partim falso, partim dubie dicit Gerlachius ad Iug. 89. Multo rectius memorare de aliqua re a Ciceronis usu alienum et ipsum verbum apud eum rarissimum esse observavit Madvigius ad Cic. de fin. II, 5, 15 p. 161 (ed. II).

Cicero enim verbo commemorare uti solitus est; commemorare vero apud Sallustium semel tantum legitur in Cat. 59, 6, memorare contra saepissime ut Cat. 3, 2; 5, 7; 6, 2; 7, 3; Iug. 12, 1; 25, 4; 28, 4; 33, 4; 40, 3; 79, 1; 85, 21; 86, 3; 89, 4. Itaque Vergilius, Plautus, alii poetae, sed quibusdam locis Cicero quoque, Sallustius, Livius locuti sunt, ut non antiquum morem loquendi sed modo rariorem esse videatur, cf. Bötticher in lex. Tac. pag. 305.

mortales. Saepissime hoc vocabulo Sallustium usum esse constat, quare Klotzius in lex. s. h. v. suo iure adiecit: *„ein Lieblingsausdruck des Sallust"*. Gerlachius ad Cat. 1: „Magnificentius et excelsius dictum, inquit, quam homines et apud Sallustium frequentissimum. Fronto quidem (Gell. XIII, 28) amplius prolixius et fusius dictum esse existimavit. Haud dubie *ἐμφατικώτερον* est, etiamsi antiquioris sermonis studiosos satis frequens sit; *priscis enim verbis* inest quaedam σεμνότης". Gerlachius hanc vocem priscam esse iudicat, quamquam Cicero quoque et alii probi scriptores saepe ita scripserunt. Rectum quidem est, iam Catonem ea usum multaque Sallustio cum Catone communia esse. Quapropter tamen hoc vocabulum nondum priscum nominari potest, quod hac opinione eo perduci possimus, ut omnia vocabula, quae iam ante Sallustium fuerint, prisca appellemus. Iam vero Kritzio auctore probare non possumus, quod Herzogius ad Cat. II, 8 dicit, hac voce homines cum quodam contemptu vel negligentia et quasi ἐν παρόδῳ significari. Aliam vero et eam quidem miram causam usus huius vocis Lawsius cap. 5 affert, qui propriae significationis nimis rationem habere videtur. „Mea quidem sententia, Lawsius inquit, Sallustius saepenumero mortales pro voce homines dicit, quod hic, cum provectus aetate esset, cultor erat philosophiae Stoicorum, qui cum neque molestiarum fugientes neque mortis metuentes essent, in oratione quoque euphemismo adhibendo non studebant". Quodsi propriae ipsius significationis causa „Sterbliche" hanc vocem tam saepe adhibuisse eum confiteri volumus, tamen

ad philosophiam Stoicam respicere opus non est, quam in singulis verbis eligendis ante oculos non habuit. Quamobrem hanc Fabri adnotationem ad Cat. II, 8 praefero: „Mit multi verbindet Sallust stets mortales nicht homines (Cat. 52, 7; Iug. 20, 3; 28, 7; 31, 7; 42, 4; 47, 1; 54, 6; 62, 1; 65, 5; mit omnes sowohl homines als mortales; cf. Cat. 1, 1; 51, 1; Iug. 28, 11. Ueberhaupt gebraucht er auch aufser diesen Verbindungen das letztere häufig, *besonders in allgemeinen Aussprüchen wo auf das, was in der Natur aller Menschen liegt, hingewiesen wird"*. Dietschius mortalis pro homines recte usurpari sentit, ubi universum genus humanum distinguitur ab iis, quibus non mortalis natura est; cf. Cat. 2, 8; 6, 3; 10, 5; 12, 3; 20, 11; 33, 4; 36, 4; 51, 11, 12, 15, 20. — Iug. 1, 3; 2, 4; 6, 3; 10, 2; 41, 1; 72, 2; 92, 2. Sallustius vero studio quodam gravitatis et magnificentiae saepe eo vocabulo etiam, ubi simpliciter homines dicendum erat, usus est. Quod exemplum secuti sunt Livius et Tacitus. Cur Sallustius hoc ipsum vocabulum tam saepe usurpaverit, etiamnunc diiudicare difficillimum est. Mihi quidem Dietschii adnotatio probabilis videtur, falsa tamen Gerlachii, Sallustium e *prisco sermone* hanc vocem repetiisse dicentis. Gerlachius enim hanc quoque sententiam tantum modo propterea videtur posuisse, quod orationi Sallustianae colorem antiquum et archaismos quam plurimos attribuere voluerit.

nisi. Gerlachius adversativam et exceptivam vim huic particulae inesse, cum „nisi" particula „sed" declarari possit et passim ab antiquis scriptoribus ita usurpatum esse admonet; nam haec significatio invenitur ap. Plaut. Pseud. 1102, Poen. IV, 2. 66. Stich. 269. Trin. 928. Aul. II, 7. 3. IV, 10. 75. Cist. 1. 1. 43. Attamen apud Sallustium haec particula tantum post negationes scriptas aut supplendas legitur, qui usus auctori nostro cum aliis scriptoribus et Cicerone ipso praecipue in epistolis communis est. Quibus omnibus expositis neminem Gerlachii sententiam, quam supra attuli, rectam iudicaturum esse puto. Fortasse igitur haec significatio nisi = sed negli-

gentia scribendi declarari potest, quae in epistolarum Ciceronis oratione et in sermone vulgari usitata est: cf. Cic. ad Att. II, 23; V, 14; XI, 6. 23; ad fam. 13, 1; 13, 73; Fabri ad Iug. 24, 5.

onustus. Nescio qua causa Gerlachius ad Iug. 87 hoc ex antiquo sermone petitum esse dixerit. Idcirco fortasse, quia onustum apud Afranium, poetam antiquissimum, etiam legitur? Immo vero equidem Herzogii et Fabri sententiae rectae sunt, quorum alter hanc iuncturam „einen stehenden Ausdruck" nominat, cf. Drakenb. ad Liv. XXIX, 27. 5 qui multa huius usus exempla affert et Muetzell. ad Curt. V, 14. 12; alter vero dicit: „Praeda onustus ist ein Ausdruck, der häufig von dem gebraucht wird, der viele Beute gemacht hat. In diesem Sinne steht es gewöhnlich ohne den Nebenbegriff der Beschwerung oder des Lästigen blos für praedae plenus. Daher kommt es, dafs Sallust hier den Ausdruck auf den Gegenstand selbst überträgt, der viele Beute darbietet".

quo sibi fidum faceret. Etsi Sallustius affectatam illam veterum simplicitatem et vim consulto diligenterque observavit, non est cur Gerlachius ad Cat. 11. 5 dicere potuerit, hanc dictionem antiqui sermonis simplicitati convenire positamque esse pro „ut eorum amorem sibi conciliaret". An existimari potest, Gerlachium accurate scivisse, Sallustium re vera hanc dictionem pro „ut eorum amorem sibi conciliaret" scribere maluisse? Mihi quidem Gerlachius in adnotatione sua nimium videtur dixisse. Itaque nemo ceterorum Sallustii interpretum quidquam de his dictis animadvertit. Neque vero negari potest sententiam satis breviter obscureque expressam esse, quod iam veteres Sallustio vitio verterunt.

sine fraude. Interpretes transvertunt haec verba Cat. 36, 2 „sine periculo, sine damno" (ut Caes. bell. gall. V, 51). Multo rectius reddi videtur „sine poena", quod saepe antiqui pro sine fraude adhibuerunt: cf. Plaut. mil. glor. II, 3. 23. Utcunque est sine fraude pro sine periculo aut sine poena utique veterem

formulam esse constat iam in lege XII tab. ap. Gell. 20, 1. 49 et ap. Liv. I, 24 in prisco regis verbo traditam. Herzogius igitur hanc priscam formulam germanice quoque obsoleta „sonder Gefährde" bene transtulit. Sed si quaeritur Sallustius num archaismum usurpaverit nego. Nam haec formula nunquam obsoleverat, sed in certis formulis quibusdam iuris dicundi in omnium aetatum sermone semper haerebat; cf. lexica.

singulatim. Falso de hac voce Gerlachius iudicavit, eam maxime scriptores antiquos usurpasse et apud Ciceronem tantum bis occurrisse. Sed omnibus temporibus et a Cicerone ipso utique saepius quam bis hoc adverbium adhibitum esse lexica s. h. v. docent. Itaque id cum optimis omnium aetatum scriptoribus Sallustio communis est neque ulla antiquitatis imitatio demonstrari potest. Quo tamen loco statuendum est, adverbia ipsa in im desinentia praecipue in antiquiore sermone et apud huius imitatores, in quibus Sallustius etiam numerandus est, frequentissimum esse: cf. Neue II, pag. 506 sqq. et Bernhardy hist. litt. Rom. not. 147 (ed. IV).

succedere. Huius verbi cum accusativo constructionem (fragm. III, 93) significantis idem, quod appropinquare ad alq. locum usitatiorem fuisse quam alteram dativi constat. Sed nullum sensus discrimen inter dativum et accusativum huic verbo iunctum intercedere videtur, quale statuit F. Aug. Wolfius ad Tac. Ann. II, 20. 2. Constructionem c. Accus. usitatissimam fuisse omnes interpretes ad Caes. bell. gall. II, 6 observarunt: cf. Sall. fragm. I, 105; II, 61. Nihil igitur veri in Noltenii sententia esse patet, constructionem cum Accus. *archaicum* quid redolere: cf. A. Lehmann „de verb. compositorum, quae ap. Sall. Caes. Tacit. leguntur" etc. pag. 48 (Vratisl. 1863).

CAPUT II.

De „*dubiis*" Archaismis.

arbiter. Id nomen in Cat. 20, 1 propria sua vi significat eos, qui aliquam rem praesentes audiunt vel vident. Klotzius in lex. s. h. v.: „Der Gebrauch des Wortes im eigentlichen Sinne fing an in der mustergültigen Prosa allmälich sich auf bestimmte Formeln zu beschränken". Sed cum Sallustius tantum *semel* hoc verbo usus sit, de eo nihil aperte iudicari potest.

comperior. Formam huius verbi deponentialem Sallustius usurpavit Iug. 108, 3 et 45, 1; cf. Priscian. 8, 5, 26 pag. 797. Praeterea ea invenitur apud Ter. Andr. V, 3. 31; Gell. III, 3. 1; Appul. met. II, 21 pag. 143, 11, 27 p. 810. Sine ulla causa est differentia a Diomede I, pag. 373 facta: „comperior = ex mea opinione colligo et compertum habeo, pro explorato didici, quod verbum deficit in futuro et imperativo. Comperio est ab alio cognosco". Dubium est, ut opinor, utrum Sallustius usum aliquem loquendi antiquiorem an omnino insolentem usurpare voluerit. Difficile enim est diiudicatu, cum duae causae pariter testimoniis defendi possint. Ceterum activum et passivum huius verbi legitur Cat. II, 2; 14, 7; 22, 4; 29, 1; 36, 2; 58, 1; Iug. 17, 2; 22, 3; 39, 1; 67, 3; 68, 1; 75, 1; 113, 1; cf. Ruddimannus I, pag. 276 ubi de verbis terminatione abundantibus egit.

cis. Allgeier in Krebsii Antibarbaro s. h. v. dicit: „Cis von der Zeit ist nur alt und spät latein, dafür intra." Cuius vocis certum iudicium facere non possum, cum hac significatione aliquoties tantum apud Plautum inveniatur et Handius de partic. II, pag. 76 recte observaverit, hunc cis praepositionis usum non inveniri nisi vocabulo „pauci" addito.

innoxius. Hic adiectivus in eorum numero habendus est, in quibus et activa et passiva significatio invenitur ut ignotus, nescius etc. Usitatior activa significatio legitur Cat. 40, 6; Iug.

85, 43. In Cat. 39, 2 autem passiva vocabuli potestate eos significari, quibus noceri nequit quique securi sunt, recte monuit Cortius. Cuius rei multa exempla Ramshornius in gramm. lat. § 206 pag. 993 (ed. II.) diligenter collegit. De voce innoxius Herzogius ad Cat. 39, 2 dicit: „*Nach Sallusts Weise den Wörtern die zu seiner Zeit ihre* **alterthümliche** *Bedeutung verloren oder verändert hatten, diese wieder zu vindiciren.* Er versteht hier sine damno, sine noxa vel detrimento aliquo ex iniuria timendo". Si autem Herzogii iudicium verum esset, sine ulla dubitatione haec verbi innoxius significatio in archaismis numeranda esset. Quae Herzogii sententia maxime dubia videtur cum ex aliis rebus tum ex eo quod nullum exemplum demonstrandi attulit. Equidem vero omnibus temporibus certos adiectivos duplici significatione fuisse censeo, qui utraque potestate promiscue adhibebantur. Libenter tamen mihi quoque documentum sententiae meae confirmandae deesse confiteor. Muetzellius vero ad Cur. VIII. 8. 13 opinionem meam adiuvare videtur dicens: „Innoxius wird absolut im activen Sinne unschädlich, unschuldig von Personen *selten* gefunden".

De perfecto verborum negligo et intelligo.

Contra vulgarem usum loquendi Sallustius has formas adhibuisse fertur: neglegisset Iug. 40, neglegeris Cat. 51, 24, intellegerint fragm. I, 45, 23; cf. quae Lachmannus ad Lucr. de his formis II, pag. 350 dixit. Aem. Macer ap. Diomedem p. 366 (P) „omnium nostrum neglegerit auctoritatem", qui recte animadvertit „quod analogiae propius quia et legerit dicimus". Ceterum intellexi et similia scribi video in Cat. 20, 3, Iug. 93, 3, in oratione Macri § 9. Quae cum forma rarissima sit et codd. quoque valde fluctuent (cf. Madvig gramm. lat. pag. 131) difficile est dictu, utrum Sallustius *archaicam* an *insolentem* tantum formam analogiam primitivorum verborum sequens adhibuerit an librarii erraverint. Attamen Paldamo auctore grammatici illi Sallustii haud imperiti cum nostri locos illos pro exemplis non attulerint,

mihi vix persuadere possum formas has singulares Sallustiano antiquitatis amori esse dandas.

vis pro vires. Vis in plurali pro vires in Fragm. III, 84. Priscianus propter formam pluralis insolitam affert: „Cuius pluralis, inquit, similiter vis tam Lucretius quam Sallustius protulerunt". Eandem formam tangit Probus II, 1, 40 p. 1461 P.: „Lucretius tamen II, 586, III, 266 numero plurali hae vis et has vis, ut sit plurali et hae vis, has vis, o vis casus habens in numero plurali tres". Difficile est igitur diiudicare utrum vis in plurali archaismus habendus sit an Sallustius Lucretium poetam imprimis antiquitatem amantem secutus sit. Lucretium vero metri causa forma syncopata usum esse opinor neque hanc formam prisca aetate a nullo scriptore nisi a Lucretio adhibitam archaicam aut obsoletam esse nominandam.

CAPUT III.

De *„veris"* Archaismis.

Adverbia in im desinentia; cf. cap. I, s. v. singulatim.

dextimus. Cf. Priscianus III, 3. 19 pag. 607 P., qui huius superlativi exempla ex Varrone, Caelio Antipatro et Sall. Iug. affert. Festus. s. v. „dextimum et sinistimum antiqui dicebant". Cum nobis forma illa nimis rara occurrat (cf. Neue II, pag. 77), ipsi excutere non possumus num Sallustius re vera antiquos aut priscos scriptores secutus sit, sed silentio testimonium grammaticorum agnoscere debemus, quod probabile est, cum Sallustius obsoletis formis frequenter utatur. Reisigius in praell. pag. 164 has breviores superlativi formas appropinquationem ac propensionem significare censet. Gerlachius vero ex augurum libris petitas putat.

diu. Diu antiquam ablativi formam pro die esse tantumque in iunctura „diu noctuque" adhiberi constat ut Iug. 38, 3;

Fragm. II, 63; Iug. 44, 5. Quae forma invenitur apud antiquissimos ut Plautum et Titinium et Tacitum quoque, qui sine dubio Sallustium imitatus est; cf. Nipperdey ad Tac. Ann. XV, 12. 15, et Corssen I, pag. 290, qui de hac voce derivanda ita dicit: „Stammhaftes s ist geschwunden im Auslaut der neutralen Accusativform diu. Diu neben dius Plaut. merc. 862, Titin. ap. Ribbeck p. 116 ac Lorenz ad Plaut. mostell. v. 752: „diu ist der Ablativ von dius der alten Nebenform zu dies, die Non. 98, 25 bezeugt und die Sprachvergleichung bestätigt". Itaque haec forma obsoleta fuit et Sallustius cum adhiberet, archaismum scripsit, quem Tacitus imitatus est.

forus. Haec est antiquior aut obsoleta forma pro forum (fragm. I, 76). Nam Charisius I, pag. 55 P.: „Masculine autem tabulata navium et semper pluraliter quamvis Gellius fora navium neutraliter dixerit et Lucilius negotiorum forum masculine extulerit libro III: forus olim ornatus lucernis". Nonius quoque pag. 216, 15: „Romanis ludis forus olim ornatus lucernis et similia Sallustii a Pomponis loca laudantur"; cf. Doederl. lat. syn. VI, 136 et Neue I, pag. 474 et 568.

partire. Omnes interpretes Sallustiani ad Iug. 43 activum huius verbi apud antiquiores tantum scriptores inveniri recte intellexerunt: cf. Priscian. VIII, 6. 29; Plaut. asin. II, 2. 5; mil. glor. III, 1, 112; Lucil. ap. Non. 7. 64, Afran, Accius, Ennius, Lucretius V. 683, Non. pag. 472, 475, Cic. de legg. III, 3. 7. Itaque dubium non est, quin Sallustius archaismum verum utique adhibuerit. — Contra participium partitus significatione passiva omnibus aetatibus usitatum fuit.

quaesere. Formis cum s pro r Sallustius saepe utitur ut quaeso Iug. 85, 10; quaesere fragm. I, 120, quaesitur fragm. IV, 19, 1. Iam C. L. Schneider I, 1. pag. 343 formam „quaeso" antiquiorem fuisse observavit. Accuratissime autem de hac re Corssenius I, pag. 229 sqq. disputavit. Quod Priscianus X, 8. 46 statuit, quaero primitivam formam esse verbi quaeso falsum est, ut iam Cortius vidit, cum in plurimis vocabulis antiquiore tempore s littera pro

r diceretur; cf. Madvig gram. lat. § 137: „quaeso, quaesumus wird gebraucht, *um der Rede eine alterthümliche Färbung zu geben*". Iam vero Romanos „quaeso" ubi enuntiatum ab eo non pendet plerumque imperativo vel praedicato postponere solitos esse adnotari potest. Quam consuetudinem Sallustius non secutus est. Neque hoc mirum est, quod Sallustium antiquum verbum quaesere pro quaerere usurpasse vidimus. Quod minus politi atque accurati sermonis est, sed hac collocatione verbo quaeso maior vis attribuitur.

satias. Quo vocabulo antiquos usos fuisse docet Nonius Marcellus, Accium laudans et Varronem, Lucilium, Lucretium. Apud Terentium quoque saepenumero invenitur haec forma contracta, item apud Tacitum et Livium, qui antiquis vocabulis interdum gaudent. Sed Ciceronem et Caesarem ut obsoleto abstinuisse patet; cf. Neue I, pag. 589. Ceterum etiam satietas Iug. 31, 20 legitur.

soluerat. Hanc antiquam formam solui pro solitus sum (fragm. II, 64) Cato et Ennius Verrone IX, 61. 107 pag. 233 (ed. Müller) teste usurpaverant. Nonius pag. 508 laudat ex Caelio: „duos et septuaginta lictoris domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium ante soluerant ferri". Cf. Catonis fragm. (ed. Iordan) 89, 34. Priscianus VIII, 11. 61 pag. 818 de neutro passivis: „Quorum tamen antiquissimi solebant etiam praeteritum perfectum proferre hoc modo: gaudeo — gavisi; soleo — solui; sed nunc his non utimur. Eadem ratione olim licitum, puditum, placitum est dicebant; sed sequior aetas maluit, licuit, puduit, placuit".

necessitudo et terminatio in tudo. Cum a „necesse" duo nomina, Dietschius ad Cat. 17, 2 inquit, facta essent necessitudo et necessitas, is usus paulatim in consuetudinem abiit, ut illud diceretur de iure et vinculo religiosae coniunctionis maxime de affinitate Iug. 80, 6; necessitas de vi quapiam gravissime premente ac cogente". Antiquiores tamen scriptores id discrimen non norunt et etiam posteriores saepe quidem necessitudo pro necessitas rarissime hoc pro illo usi sunt, cf. Gell. XIII, 3. Sallustium saepe necessitudo scripsisse pro necessitas testatur Charisius pag. 76 (ed. Lind). Et in Cat. et Iug. semper legitur necessitudo cf. 5, 21, 3; 33, 5; 58, 11, 19. — Iug. 19, 8; 48, 1; 102, 5. At in orat. Lep. 15 et in epist. Pompei 8 vocabulum necessitas scriptum est. Credibile igitur est Sallustii temporibus consuetudinem illam nondum apud omnes valuisse eumque ipsum numerosiorem formam alteri praetulisse. Herzogio ad Cat. XVII. 2 autem magnam operam danti ut differentiam significationis inter duas terminationes tas et tudo faciat, adsentiri nequeo; cf. ad Caes. bell. civ. II. 8. Is tamen in significationis differentia constituenda nimis acute ideoque obscure videtur iudicasse. Sallustius enim ipse, opinor, eam acutam terminationem differentiam non novit, sed duas tam antiquiorem in tudo quam alteram in tas sine discrimine adhibuit. Item Kritzius vocabuli formam in tudo exeuntem propterea Sallustio placuisse existimat, quod multo antiquior est, quam altera in tas quamquam sententia non diversa. Idem animadvertit Drakenborchius ad Livium II, 3. 43 et Reisigius in praell. § 70 pag. 98. —

Iam vero aliis antiquioribus vocabulis claritudo, lassitudo Sallustius usus est. Ciceronem semper claritas dicere maluisse compertum habemus. Quibus ex omnibus utique satis intelligi potest, quantum studium antiquitatis restaurandae Sallustio fuerit et quotiescunque eligendi arbitrium permissum erat, eum summo amore antiquum novo praeoptasse. Quam ob rem Gerlachius antiquitatem quandam redolere nomina in tudo ideoque substantiva in hanc terminationem desinentia, cum quendam antiquitatis colorem habeant, a Sallustio et Tacito saepe usurpari rectissime dixit.

ulcisci nequitur. *nequitur.* Hac forma passiva cum alii scriptores antiqui, tum Cato adhibuerunt ut ex his Festi verbis satis liquet, cf. Neue II pag. 472, Holtze II pag. 20: „Nequitum et nequitur pro non posse dicebant ut Pacuvius cum ait: „sed cum contendi nequitum ut clam tendenda est plaga". Plautus

in satyrione: „retrahi nequitum, quoquo progressa est semel“ et Cato in orig. I, 23: „Fana in eo loco complura fuere, ea exauguravit, praeterquam quod termino fanum fuit, id nequitum exaugurari“, cf. Lucret. I, 1045, Plaut. rud. IV, 4, 20, Persa II, 2, 12, Ter. Hecyr. IV, 1, 57. Haec antiquissima forma archaismus verus sine dubio habendus est Sallustiumque ea usum esse veri est simile propterea, quod C. Memmii antiquioris oratoris haec verba esse voluerit. Ex me igitur quaerenti, num Sallustius hac voce Catonem imitatus sit, eum *morem totius antiquitatis* potius quam unius praecipue Catonis secutum esse respondebo. Et profecto haec vox a Plauto et Terentio ceterisque Catonianae aetatis scriptoribus non minus quam a Catone adhibita est. „Veteres enim in hoc verbo, Kritzius inquit, analogiam passivorum potestur et coeptum est secutos esse eamque nonnisi cum passivi infinitivo coniunctam usurpasse viri docti iam monuerunt“. Quare patet *ulcisci* h. l. contra vulgarem usum passivum sensum habere, cuius in hoc verbo rara exempla sunt. Difficile est igitur dicere utrum antiquiorem loquendi consuetudinem, ex qua hoc verbum active ponebatur, secutus sit an analogia coactus significationem passivam finxerit. Mihi quidem haec opinio melior videtur esse, quod apud antiquissimos scriptores nusquam fere activum invenitur (tantum semel apud Ennium ap. Non. pag. 292, 16). Utique autem haec tota iunctura obsoleta et prisca habenda est. Ceterum etiam totum caput orationem Memmii continens, colorem antiquitatis valde redolere quis est quin sentiat?

volgus et vadus. Veteres grammatici formam amborum vocabulorum masculinam apud priscos scriptores inventam esse testantur. Quem usum Sallustius Iug. 69, 2; 73, 5; fragm. I, 68 secutus est. Sic Sisenna, Accius, Varro Nonio teste pag. 230, 7 eas formas adhibuisse dicuntur.

anteponere. antevenire. Recte Allgeier in Krebsii Antibarbaro ait: „*Anteponere:* für aliquid alicui anteponere einem etwas vorziehen steht *alt-lateinisch* bei Ennius ap. Cic. de off. I, 24, 48, was nur Sallust Iug. 15, 1 nachgebraucht hat: „ne verba inimici ante facta sua ponerent für factis suis anteponerent“. Nullo autem modo Gerlachio adsentiri possum dicenti praepositionem a verbo disiunctam more scriptorum antiquiorum esse. Nam apud has tres praepositiones ante, post, contra omnibus aetatibus figura, quae vulgo tmesis nominatur, usitata fuit, quia significationem adverbialem diutissime reservarunt. Ceterum haec figura apud omnes omnium aetatum poetas praecipue in praepositionibus invenitur. Facere non possum quin iudicium Krebsii in Antibarbaro de verbo „*antevenire*“ quoque addam: Zuvorkommen, übertreffen wird construirt alicui und aliquem, ist aber *außer Sallust alt-lateinisch* und nachclassisch und dabei sehr selten für antevertere, superare, cf. Iug. 4, 7; 96, 3.

pax conventa. In verbi usu convenio Sallustius a suorum temporum consuetudine non discrepat, cf. Iug. 38, 1; 39, 4. Sed audacius est, quod Iug. 112, 2 pacem conventam scripsit ad eorum verborum exemplum de quibus Madvigius in gramm. latin. § 110, 3 dixit et Ruddim. I, 298, 4. Gerlachius hoc quoque ad *prisci* sermonis rationem videri esse conformatum recte observavit sententiamque his exemplis defendit: „Festus s. v. conventa conditio dicebatur, cum primus sermo de nuntiis et eorum conditione habebatur“, cf. Sisenna ap. Non. II, 470. Multo vero accuratius Fabri de hac voce egit, ita ut eius sententiam penitus complectar: „Dieses Participium vertritt manchmal die Stelle eines Participium des Perfect. im Activ, wie denn pax conventa hier gleich bedeutend ist mit pax quae convenit, cf. Iug. 38, 10. In der *älteren* Sprache scheint dieser Gebrauch gewöhnlicher gewesen zu sein, späterhin wurde nur das Neutrum conventum so substantivisch gebraucht“.

dare victos. Interpretes ad Iug. 59, 3 hunc verbi dare usum apud antiquiores scriptores et poetas haud rarum esse recte exponunt. Cuius rei multa exempla laudantur ut Ter. Heaut. V, 1, 77 exornatum dabo, Phorm. V, 8, 81, Plaut. Cist. II, 2, 51, Pers. IV, 1, 9 etc. Dare saepius quidem a poetis quam ab ora-

tionis solutae scriptoribus dictum est de iis qui aliquid effecerunt atque absolverunt aut in certam quandam conditionem coniecerunt, quoniam rem perfectam in aliorum conspectum proponunt ut eam iis quasi porrigant. Plerumque tamen in talibus emphasis est ac plus dicitur quam verbo simplici „vincere“ notaretur. Herzogius ad h. l.: „Zu leugnen ist nicht, dafs die ganze Redensart etwas gewähltes ja doppelsinniges hat“. Utcunque est utique contra orationis solutae consuetudinem dare pro reddere aut facere positum est, quam constructionem Madvigius in gramm. lat. 427 „*alterthümlich*“ nominat. Madvigio igitur auctore Sallustium sine dubio antiquos scriptores secutum hanc iuncturam iam sua aetate obsoletam et apud poetas modo usitatam adhibuisse contendo.

decet cum Dativo. Verbum decet cum Dativo fragm. I, 100 pro Accusativo antiquis scriptoribus proprium fuisse constat, cf. imprimis Ruddim. II pag. 207 not. 25. Cum Dativo etiam Ciceronem iunxisse commemorat Stephanus in thesauro de orat. III, 55 extr.: „quandoquidem id deceat prudentiae tuae“. At omnibus praestantioris notae libris: „scire, quid quandoque deceat, prudentiae. Ceterum „decet alicui“ quidam Hellenismum esse statuunt ut πρέπει ἡμῖν; alii autem nativum atque non cum Graeca solum sed cum aliis etiam linguis communem loquendi morem ut convenit nobis, esse volunt, cf. Vechneri Hellenolexias pag. 363, Taubmannus ad Plaut. Amphitr. II, 2, 188.

ea gratia. Kritzius ad Iug. 54, 4 ea gratia pro eius rei gratia dicendi rationem antiquiorem esse videri recte interpretatur. Praecipue enim Plauto eam formulam aliasque eiusmodi ut ea causa a Sallustio quoque usurpatas proprias fuisse exemplis demonstrari potest: ea causa Plaut. Pseud. I, 53, 90; III, 2, 59; Pers. III, 1, 7; Rud. prolog. 31; Catonis fragm. 17, 5; ea gratia autem apud Plaut. Pseud. I, 2, 27; merc. I, 2, 109 etc. Ennius quoque ap. Cic. de nat. deor. III, 67. Similes apud Sallustium sunt iuncturae Iug. 54 ea formidine, Iug. 83, 1 eo dolore, 35, 6

eo numero. Quae exempla eum antiquiorem consuetudinem loquendi secutum esse satis probant.

expers cum Ablativo. Sallustius cum adiectivum expers cum Ablativo Cat. 33, 1 coniungeret, antiquiorem locutionem praetulit. Nam tantummodo ap. Plaut., Terent., Lucret. haec structura invenitur: Plaut. Amphit. II, 281; Asin. I, 1, 31; Pers. IV, 3, 40; Lucret. II, 1091; VI, 1179, cf. Holtze I p. 121; Ruddim. II p. 114, ut hic usus rarissimus in archaismis numerandus sit. Herzogius ut causam aliquam huius constructionis inveniat operam dat: „Der Ablativ ist stärker, ausdrucksvoller, bezeichnet die allernächste materielle Beraubung und expers gleich dem spoliatus“. Utut res se habet tantum genitivum apud optimos auctores usitatum fuisse scimus, cf. Badstuebner pag. 26 et Allgeier s. h. v.: „Expers wird classisch nur mit dem Genitiv verbunden. *Alt-lateinisch aber mit dem Ablativ, was Sallust nachahmt*“.

verba frequentativa. *consultare.* Fabri ad Cat. 6, 6 hoc verbum cum Dativo coniunctum apud alium melioris aetatis scriptorem nullo loco inveniri animadvertit; propterea autem „consultabant“ h. l. in „consulebant“ mutari nondum opus est, cum saepe pro verbis simplicibus frequentativa apud Sallustium ponantur velut adflictare, defensare, imperitare, rogitare, agitare, missitare, obiectare, occursare, ductare, dictitare, pollicitari etc., cf. Badstübner pag. 23. Gerlachius autem adnotat ad vocem negitare Iug. c. 11 „etiam hoc dictum antiquius“, quod ad formam verbi frequentativam pertinere probabile est. Quam verborum formam praecipue antiquitate excellere iam Walchius ad Tacit. Agric. pag. 112 et 286 observavit. Eodem modo Lorenzius ad Plaut. most. v. 11 ait: „Frequentativa für simplicia sind nicht blofs in der stets auf Nachdruck zielenden Umgangssprache sehr allgemein, sondern treten auch sonst in der *älteren Latinität* stark hervor“. Itaque etiam Sallustius multa verba frequentativa et apud alios et eos quidem optimos scriptores usitata et per se ipsa non obsoleta aut antiqua adhibuit. Attamen dico eum per-

multas etiamsi solitas formas tam saepe scripsisse, ut oratio antiquum colorem redoleret, quamobrem multum crebrumque horum verborum usum auctori archaismo tribuere non dubito.

iuxta mecum. Voce iuxta ut comparationem cum aliqua re exprimat saepe Sallustius utitur. Semper fere ita ut quae comparantur per copulativam particulam coniuncta sint ut per que Cat. 58, 5; 61, 6; Iug. 67, 2; 85, 47; 88, 1. — per et Cat. 51, 30; Iug. 95, 33. — per ac Cat. 37, 8, ac si Iug. 45, 12, atque Iug. 95, 3. Satis frequens igitur iunctura iuxta ac, atque, interdum iuxta et, que. „Iuxta ac, Reisigius in praell. § 215 inquit, in dem Sinne von aeque ac ist dem Cicero fremd geblieben, cf. Wolf. ad orat. post red. in sen. 8 § 20 pag. 42. Doch findet es sich sonst bei guten Schriftstellern". Sed iunctura iuxta mecum praeter Plautum et Sallustium Cat. 58, 5 nusquam invenitur. Allgeier in Krebsii Antib. dicit haec: „*Alt-lateinisch und noch bei Sallust* findet sich iuxta mecum in der Bedeutung ebenso wie irgend einer". Quod ad huius iuncturae usum apud Plautum attinet, Lorenzius ad mil. glor. v. 233 de eo accurate egit: „Iuxta mecum so auch Pseud. 1161, Pers. 249. 250, Aul. IV, 7, 1, Trin. 197 sonst nie bei Plautus, bei Ennius, Terenz und in den Fragmenten der übrigen Dramatiker findet sich iuxta überhaupt nicht. Es ist an den sechs Plautusstellen offenbar Adverb = similiter aeque, so wohl nur noch einmal bei Sallust Cat. 58"; cf. Holtze I pag. 88. Equidem ego sic existimo Sallustium hoc aut ex antiquitate repetiisse aut e vulgaris sermonis consuetudine sumpsisse atque hanc iuncturam in obsoletis sententiis numerandam esse.

perditum ire. Structura verborum motum significantium maximeque ire verbi cum supino, qua conatus studiumque aut voluntas aliquid faciendi indicetur, apud Sallustium est satis frequens. Ut perditum ire pluribus locis legitur Cat. 36, 4; 31, 27; 52, 12; Iug. 85, 42; 68, 1; fragm. III, 22, 17: „neque ego vos ultum iniurias hortor", ubi ellipsin statuendam non est absimile, nisi ire vocem ante „iniurias" negligentia librariorum

excidisse putas. Eodem vero modo ad verbi ire analogiam properare cum supino iunctum legimus fragm. III, 82, 16 „auctum atque adiutum properatis" et V, 18 quaesitum gratiae properantem. Gerlachius ad Cat. 36 hanc futuri circumscriptionem in antiquo sermone satis solitam fuisse dicit. Simpliciter iudicat ad Iug. 68: „Infinitivum verbi eo cum supinis iunctum apud antiquissimum scriptorem frequentissimum". Quam sententiam rectam esse demonstrari potest ex innumeris Plauti, Terentii, Catonis exemplis, cf. Holtze I pag. 245 et fragm. Catonis. Paulo accuratius Boetticher in lex. Tac. pag. 451 dicit, frequentem hunc usum esse comicis nec deesse aliorum exempla. Hanc enim structuram apud scriptores quoque post Ciceronem saepe inveniri vidimus. Adnotationem idoneam Fabri quoque ad orat. Lic. § 16 attulit: s. v. adiutum properatis. „Das Supinum findet sich zwar aufser dieser Stelle nirgends bei properare, ist aber bei diesem Verbum, mit dem sich der Begriff der Bewegung verbindet, nicht befremdlich. Auffallender erscheint es bei hortor. Doch ist es vielleicht unnöthig eine Ellipse von ire anzunehmen, denn die *ältere* Sprache scheint überhaupt das Supinum in gröfserer Ausdehnung als die spätere gebraucht zu haben, cf. Ramshornius § 170 „ire mit dem Supinum in um kommt als ***veraltet*** bei Cicero nicht vor", et Herzogius ad Cat. 36: „Diese Redeweise ist mehr den Komikern und *alterthümlichen* Schriftstellern eigen als Cicero, Caesar und anderen Mustern des classischen Stils". Ubi enim Cicero hoc supino utitur, plerumque venire aut mittere verbis adiungit. Caesar nunquam nisi apud verba mittere et venire, semel apud progredi et collocare adhibuit. Livius tamen et Tacitus saepenumero id usurpant. Omnia igitur testimonia Sallustium a vulgari sermone recessisse et antiquiores scriptores imitatum esse consentiunt.

quam — tam. Quam — tam pro ita — ut (Iug. 31, 14; orat. Lep. 24) antiquioribus scriptoribus proprium esse exemplis vetustiorum monumentorum satis constat. cf. Ter. Heaut. V, 2. 44; Ad. III, 4. 56; Varro de r. r. II, 9; Cato de r. r. 65, 2 et 157, 8 et

fragm. pag. 85, 9 (Iordan). Quam observationem vetus quoque consuetudo loquendi adiuvat, quae in Memmii ipsa oratione invenitur. Kritzius quidem modo concedit quam — tam pro ita — ut poni posse, sed aliam fieri comparationis rationem eamque minus definitam existimat. Utut res se habet utique exempla quam — tam pro ita — ut positum esse docent, ut facere non possim, quin scriptorem antiquum usum loquendi secutum esse accipiam. Quamobrem Klotzius in lex. II pag. 1015 ad v. quam — tam cum superlativis recte adiecit „*im alterthümlichen Ausdruck*". Cf. Iacobs ad Iug. 31, 14.

quicquam pensi. Haec locutio qua Sallustius utitur Cat. 5, 6; 12, 2; 23, 2; 52, 34; Iug. 41, 9 antiquior est, quia eam haud raro a Plauto usurpatam esse cognovi. Gerlachius quoque id genus genitivos ab antiquis scriptoribus et qui idem dicendi genus affectarent fuisse constructos dicit. Quam formulam loquendi imprimis ab antiquis scriptoribus saepe adhibitam esse sentio, quod verbi pendere antiquissimis temporibus multo latior usus fuit, quam postea, cum illis temporibus, quibus Romani aere gravi utebantur, omnis pecunia non numeraretur, sed penderetur. Quod ad huius formulae structuram attinet, in hac non esse Genitivum pretii, sed ex nihil, quicquam aliisve vocabulis substantive positis pendere dico. Longe autem a vero mihi errare Lawsius videtur, qui naturam Genitivi non satis cognovit. „Nam Genitivus pretii quoque, inquit, e nihil quicquam aliisve substantivis saepe non positis, tamen mente cogitatis aptus est". Quod tamen in orationem Sallustianam non cadit, quem non cogitatam sed veram negationem semper ad vocem pensi apposuisse manifestum est. Iam vero nostra aetate nemo sententias eorum probabit, qui talia per omissum substantivum explicant, quemadmodum Sciopp. ad Sanct. Min. IV, 4 pag. 618 ad pensi supplendum esse negotii censuit, immo vero consentiunt pensum substantivi naturam induisse. Quae cum vocabuli iunctura apud antiquissimos tantum scriptores, saepissime apud eorum imitatores Sallustium et Tacitum, nusquam vero aurea aetate apud Caesarem et Ciceronem inveniatur, Sallustius eam ex antiquitate repetiit.

simulare. Gerlachius non iniuria dicit, hoc verbum apud antiquos scriptores saepius absolute positum esse. Quam tamen adnotationem falso loco (ad Cat. 41, 5) fecit. Hic enim translata significatione neque absolute Sallustius utitur. Aptissima autem ea est ad Cat. 37, 4. Raro hoc verbum a Sallustio cum Accusativo cum Infinitivo iungitur e. g. Iug. 76, 1. Aliis locis Accusativo substantivi adiunctus est: Cat. 41, 5; Iug. 14, 21; 36, 2; 60, 5; 88, 6; 111, 4. —

scilicet. Sallustius hanc vocem frequenter cum Accusativo cum Infinitivo construxit, ut Iug. 102, 9; 113 3; Orat. Philipp. 5. Iam Cortius ad Iug. 4, 6 adnotavit „hoc Sallustii iudicium est", quare scilicet hoc loco non adverbii sed verbi vim habet. Idem Fabri dicit: „Scilicet das aus dem Stamme von scire licet entstanden, ursprünglich gleichbedeutend ist mit scire licet, wurde von älteren Schriftstellern Plautus, Terentius, Lucretius u. A. öfters mit dem Acc. c. Inf. verbunden". Eodem fere modo Herzogius ad Iug. 102, 9 iudicat, qui tamen iniuria dicit Iug. 4, 6, Accusativum c. Inf. a vocabulo scilicet pendere non posse, sed verbum aliquod ut „significabant aut indicabant" supplendum esse. Quam opinionem Fabri refutavit: „Herzog supplirt aus den Worten solitos ita dicere hier significabant oder indicabant, wozu aber der negative Theil des folgenden Satzes: non ceram — habere nicht paſst". Kritzius structuram Accusativi cum Infinitivo inveniri, sed hoc loco (Iug. 4, 6) admitti non posse confitetur. Sed Kritzii sententiam iam Fabri ad Iug. 4, 6 refellit.

Itaque quattuor locis, quos supra nominavi, scilicet ortum esse ex scire licet et Accusativum cum Infinitivo post scilicet prisco more positum censeo. De usu obsoleto Holtze II, 318 multa exempla attulit.

Quod ad huius vocis derivationem pertinet, Madvigius ad Cic. de fin. V, 1, 3 (ed. II) ab ipsa radice verbi quod nunc est scire deducendum censuit, quam sententiam Dietschius secutus est.

cf. Iug. 4, 6. Mea quidem sententia derivatio, quam iam supra demonstravi, multo simplicior est neque tam artificiose quam Madvigii facta videtur, quare hanc sequi maluerim. — Utcunque tamen derivatio huius vocis est, non plus eo efficitur, quod cum scilicet Accusativus cum Infinitivo coniungitur, quoniam structura significationi, quae in vocabulo inest, non originationi aptatur. Itaque Madvigius ipse in gram. lat. § 395 not. 8 dicit: *„Alterthümlich scilicet* (= scire licet) *mit dem Accusativ c. Inf.*".

animos tollere. Haec quoque locutio magis ab antiquioribus quam ex suorum aequalium usu a Sallustio sumpta est: cf. Ruhnken ad Ter. Hecyr. III, 5. 57; Plaut. Truc. II, 8. 10; Lucil. ap. Non. pag. 286, 6; Diesch. ad Iug. 101, 7.

attinere. Hoc verbum significatione „festhalten" (Iug. 168, 3 et orat. Philipp. 16) apud Ciceronem et Caesarem aliosque optimae latinitatis scriptores non invenitur. Frequens autem est in cotidiano veterum comicorum sermone, ex quo ii, qui archaica amabant ut Sallustius, Tacitus, Fronto videntur mutuati esse.

benefactum. De vocabulo quod apud Sallustium et Catonem saepe invenitur pro beneficio „alt und poetisch latein" positum esse recte ait Allgeier. Nam Ennius apud Cic. de off. II, 61. 18 et saepe Plautus eandem huius vocabuli significationem habent. Ciceronem tamen optimaeque aetatem latinitatis tantum significatione „recte facta aut res gestae" uti notum est.

calvi. prisca vox pro decipere, frustrari, quae in antiquissimis tantum scriptoribus est ut in Pacuv. ap. Non. p. 6. 29, duod. tab. ap. Fest. p. 313, 6 (Müller); Lucil. ap. Non. p. 7. 3; Plaut. Cas. II, 2. 4; Pacuv. ap. Non. p. 7. 6, p. 192, 32. Accius ap. Non. p. 6. 33. Post Sallustium vero nemo ea prisca voce usus est.

consultor. Ad hanc vocem (Iug. 64, 5) non iniuria Dietschius haec dicit: „Quod Sallustius vocabulo consultor de iis usus sit, qui conciliis dandis, auctoritate, re aliis consulunt (semper tamen respondit magis nostro „Berather" quam „Rathgeber"; cf. Iug. 64, 5; 85, 47; 103, 7; orat. Lic. 15, or. Phil. 1) ex antiquitate potius quam ex suae aetatis usu videtur repetiisse". Itaque sane hac

significatione vox consultor modo invenitur in versu antiquo ap. Varr. 3, 2, 1 et ap. Gell. 4. 5. Multo alia est significatio ap. Cic. c. har. 9. 22; Balb. 20, 45; Tusc. 5. 48. 112.

cum animo habere. Hae iuncturae cum vocabulo animus apud Sallustium sunt: „cum animo habere Iug. 11, 8; cum animo volvere Cat. 32, 1; cum animo reputare Iug. 13, 2; 70, 5; 85, 10; trahere cum animo Iug. 93, 1; cogitare cum animo. „Animus" autem in his quasi altera persona cogitatur. Herzogius ad Iug. 6. 2 dicit: *„Offenbar ist diese Redeweise der älteren Denk- und Darstellungsweise entnommen, die mehr das Concrete nennt als im Abstracten sich gefällt.* Im Gegensatz setzten Spätere nur volvere". Qua cum sententia Deltourii comparetur existimantis has constructiones Catonis imitatione a Sallustio receptas esse. Quibus omnibus rebus liquere videtur, utique locutiones eiusmodi e antiquiore sermone repetitas esse, forsitan ut oratior gravior et dignior fieret.

curare. Boetticher in lex. Tacit. antique = administrare, regere ut ap. Ennium, Plautum, Varronem positum esse dicit. Idem rectissime iudicavit, cum curare = administrare exceptis antiquis scriptoribus, quos supra nominavi, nusquam scriptum sit, sed demum apud Livium et Tacitum saepe invenitur, apud quos in terminis technicis rei militaris numerandum est ut Tac. ann. I, 31; II, 30. Itaque Kritzio ad Cat. 59. 3 adsentior dicenti: „Curare absolute positum et in re militari inprimis frequens esse". Apud Sallustium haec verbi significatio invenitur Cat. 59, 3; Iug. 46, 7; 57, 2; 60, 1 et 5; 100, 2; fragm. I, 57.

dolus. Hoc vocabulo Festo auctore nunc tantum in malis utimur, antiqui autem etiam in bonis rebus utebantur unde adhuc dicimus „sine dolo *malo*". Kritzius hoc loco interpretatus est „non quo in fraudem induceret, sed ut depelleret fraudem". Dolus enim mediae significationis est vocabulum etiam pro sollertia positum. Ulpiano dig. IV, 3 teste, qui scite ita disputat, veteres dolum etiam bonum dicebant et pro sollertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronemve aliquis ma-

chinetur. Quibus testimoniis et locis ipsis Sallustium antiquissimam consuetudinem loquendi, sed sua aetate non usitatam secutum esse intelligimus.

ductare. Allgeier in Antibarb. s. h. v. hoc vocabulum apud Sallustium eiusque imitatorem Tacitum et in prisca lingua latina pro ducere dici adnotat. Multo accuratius Herzogius: „An sich ein seltenes Wort, das Sallust mehrmals Iug. 38, 1; 70, 2; Cat. 17, 7; 19, 3 gebraucht, ebenso Tacitus. Später aber und auch schon bei Plautus und Terenz im *obscönen Sinne gebräuchlich*". Quam vocem eum propterea adhibuisse censeo, quod omnino, ut supra demonstratum est, usum verborum frequentativorum valde amaret. Equidem iudicium Quintiliani sine dubio probo, qui in libro VIII, 3. 44 apud Sallustium „exercitus ductare" dictum sancte et *antique* esse dicit.

inquies. Inquies pro inquietus legitur fragm. I, 8; 51, 11 et 16; II, 45; IV, 60. Kritzius vocem inquies antiquiorem esse formam pro inquietus comprobat. Boetticher in lex. Tacit. eadem dicit: „Inquietus, *prisca vox* apud Plautum, Sallustium, Tacitum etc. et sequioris aevi scriptores". Ex his v. d. testimoniis priscam obsoletamque vocem Sallustium adhibuisse satis intelligitur.

obsidium. Antiqua forma pro „obsidio" in fragm. I, 84, IV, 19. 14 legitur, praeterea apud Plaut. Bacch. IV, 19, 24; Varro c. l. V, 16, 90; sed saepissime apud Tacitum, imitatorem Sallustii; cf. Madvig. Cic. de fin. excurs. pag. 799: „Postremo illud etiam in mentem veniet, discidium a discindendo, ut excidium ab excindendo, ductum esse, dissidium abhorrere a sessione et consessu et obsidione, id autem, cui simile videatur esse, obsidium non poni aut ab aliis optimae aetatis scriptoribus, qui sui temporis sermonem servent, aut a Cicerone, cuius auctoritate dissidium tueri conantur, sed, cum post vetustos poetas et annalium scriptores (ut C. Laelium) dictum esset *a veterum verborum amatore Sallustio, reductum esse, ut alia Sallustiana a Tacito ad speciem gravitatis orationi*

ex antiquitate verborum conciliandam"; cf. Neue I, pag. 474 et 568.

occipere. Hoc verbum est antique dictum pro incipere. Saepissime apud comicos veteresque poetas ut Lucretium invenitur. Sisenna quoque, cuius genus dicendi Sallustius interdum fortasse imitatus est, ita locutus est.

patrare. Frequens est hoc verbum apud Sallustium, frequentius apud eius imitatorem Tacitum. Doederlinus in syn. lat. vol. IV, p. 367 § 11 patrare recte censet nonnisi antiquitatis quodam colore a perficere differre et plerumque in gravioribus rebus dici. Quamobrem Sallustium hoc verbum tam frequenter usurpasse existimo. Quintilianus quoque testis est in lib. VIII, 3. 44. Itaque apud Ciceronem modo bis legitur in epist. ad Att. I, 14, quibus liberior loquendi consuetudo usitata fuit („epistolas, ut Cic. ad fam. IX, 21 ait, cotidianis verbis texere solemus") et in libro de legg. II, 8, ubi ex lege antiqua sumptum est. Apud Caesarem vero elegantissime facillimeque scribentem haec *sancta* et *antiqua* vox nusquam invenitur. Quintiliano auctore Sallustium archaismum verissimum et saepe quidem adhibuisse patet: cf. Cat. 18, 8; 33, 4; 56, 4; Iug. 22, 2; 88, 4; 43, 4; 92, 1. Contra vero verbum perficere quod usitatum fuit tantum bis legitur: Iug. 11, 9 et 16, 3. Dräger quoque usum huius verbi in paucis ab eo allatis archaismis Taciteis iure ac merito numerat.

pene. Gerlachius scite adnotat: „Nota simplicitatem prisci sermonis". Recte! Nam Cic. Epp. ad div. 9. 22. 5: „Caudam antiqui penem vocabant, ex quo est propter similitudinem penicillus. At hodie penis est in obscoenis. At vero Piso ille frugi in annalibus suis queritur adolescentes peni deditos esse. Quod tu in epistola appellas suo nomine ille rectius penem". Veteres enim optima aetate in rebus obscoenis circumlocutiones adhibere solebant: cf. Iug. 85, 41; Holtze p. I, pag. 10. § 6; Bernhardy hist. litt. rom. (ed. IV) pag. 30. not. 17.

prosapia. Cicero in Tim. 11: „Et eorum, ut utamur *vetere*

verbo, prosapiam". Iam Quintilianus I, 6, 40: „Sed hoc opus est modo ut neque crebra sint haec neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione nec utique *ab ultimis* et *iam oblitteratis repetita temporibus qualia sunt — prosapia*". Cf. ibid. VIII, 3. 26. Itaque prosapia priscum obsoletumque vocabulum est. Nonius autem I, pag. 343 Catonem in orig. hac voce usum esse tradit. Id quoque documento est, hoc vocabulum antiquissimum esse. Quam ob causam commode in re antiqua et a Mario plebeio et inculto homine usurpari Cortius iam recte observavit.

supplicia. Aliquoties Sallustius supplicia pro supplicationibus et sacrificiis solemnibus posuit: cf. Cat. 9, 2; 52, 28; Iug. 55, 2. „Selten, ut Fabri recte dicit, gebraucht er es von Bitten, die an Menschen gerichtet sind wie Iug. 66, 2". Rectissime omnes interpretes in huius vocis usu Sallustium priscos scriptores imitatum esse dicunt. Velut Afran. ap. Non. pag. 398, 22; pag. 398, 19. Ita Herzogius ad Cat. 9: „Alterthümlich statt supplicationibus, denn nur Varro de r. r. II, 5 sagt: ad supplicia servant deorum und der ein antikes Gewand liebende Tacitus". Cf. Nipperdey ad Tac. ann. III, 64 et Boettich. lex. Tacit. Sallustius ergo significationem huius vocabuli antiquissimam usurpavit, quam scriptores aureae aetatis formulis solemnibus exceptis nihil adhibent. Nam apud eos haec vox tantum significat „Todesstrafe, Marter", ut Lexica indicant.

tempestas. Hanc vocem antiquiorum auctorum usum secutus Sallustius frequenter adhibuit ut temporis monumentum aut spatium significaret: cf. Cat. 17, 7; 22, 1; 24, 3; 36, 4; Iug. 3, 1; 8, 1; 13, 7; 30, 4; 32, 5; 35, 1; 37, 1; 40, 5; 79, 2; 90, 1; 114, 4 cf. Allgeier in Krebsii Antib.: „Tempestas wurde in der Bedeutung Zeit und Zeitpunkt für tempus zu Ciceros Zeit für *alterthümlich* gehalten". „Sed tamen, Cic. de or. III, 38. 153 inquit, raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem et orat. 49": nisi forte sic loqui poenitet: „qua tempestate Paris Helenam etc. Neque enim aliud fugerim dicere ut Caelius: Qua tempestate Poenus in Italiam venit; cf. Cic. de div. I, 34. 75. Quibus Ciceronis dictis iam aetate eius de numeri singularis usu magnam dissensionem fuisse verboque adversatores quoque exstitisse satis discimus. Livius quoque hac voce pro tempore saepe usus est. Ex antiquissimis linguae Romanae monumentis exempla collegit Varro de l. l. VI, 6; cf. Boetticher quoque in lex. Tacit. s. h. v.: „antique pro tempus". Quibus testimoniis allatis utique antiquiorem usum Sallustium secutum esse liquet, quae sententia ideo quoque verisimillima videatur esse, quod Sallustius hoc vocabulum tam saepe adhibuit. —

Sed plurali quoque eiusdem vocabuli auctor noster usus est significatione „Zeitpunkte, Zeitabschnitte"; cf. Cat. 53, 5; Iug. 73, 7; 96, 1; 108, 2. Qui tamen pluralis usus raro modo apud Livium et Sallustium invenitur (Lorenz. ad Plaut. most. v. 18) et propterea omnino insolens declarandus et in multis rarisque pluralibus eorum vocabulorum habendus est, quae Sallustius praeterea usurpavit, ut Cat. 15, 4 quietes, 42, 2 portationes, 41, 7 gloriae, Iug. 46, 7 equitatus etc. Atque haud scio an numerus substantivorum abstractorum pluralis summo amore in sermone vulgari adhibitus sit. „Denn Plautus gebraucht, Lorenz ad most. v. 336 inquit, mit Vorliebe den Plural abstracter Substantive, nicht bloſs wenn sie mit einem anderen regelrechten Plural verbunden sind, sondern auch wenn sie allein stehen. Auch der constante Gebrauch von modus und exemplum in der Bedeutung von Art und Weise gehört hierher". — Ad pluralem „potestates" Gerlachius adnotat, inesse in his locutionibus quendam antiquitatis colorem. Quam sententiam minime accipio, quod equidem nullum antiquitatis colorem sentio, cum omnibus temporibus pluralis abstractorum usitatus fuerit. „Abstracta vocabula plurali, Deltourius pag. 16 inquit, saepius numero adhibet Sallustius, in hoc veteres secutus, quorum leges his dicendi formis refertae sunt. At potissimum Cicero et veteres et Graecos ac praesertim Isocratem imitatus plurima in latinam linguam induxit aut revocavit". Paulo accuratius iudicavit Lawsius

propterea abstracta pro concretis eum adhibuisse existimans, quod magna cum diligentia in litteras Graecorum incubuit praecipueque dicendi genus Thucydidis imitatus est, quem viri doctissimi ampla vi mentem a singulis ad universa revocandi praeditum fuisse iudicarunt. Utcunque res se habet, numeri pluralis usum nullum archaismum esse sed tantum aliquid insoliti Sallustium scripsisse manifestum est.

venena mala. Facere non possum quin adnotationem Dietschii ad Cat. XI repetam qua nulla mihi melior videtur. Neque vero quemquam iam antea ad haec verba ullam animadversionem scripsisse miror, cum Sallustium antiquiorum usum scriptorum secutum esse appareat. De verbi venenum significatione Gaius homo iuris omnisque antiquitatis peritissimus in Dig. l. 16, 256 haec monuit: „Qui venenum dicit adiicere debet, utrum malum an bonum, nam et medicamenta venena sunt, quia eo nomine continetur omne, quod adhibitum naturam eius, cui adhibitum est, mutat. Cum id quod nos venenum appellamus, Graeci *φάρμακον* dicant, apud illos quoque tam medicamenta, quam quae nocent, hoc nomine continentur“. Eodem modo Gell. XII, 9 venenum in iis verbis numerat, quae cum suo tempore de malis tantum dicerentur, apud antiquos media et communis essent, ut significare et capere possent, duas inter se contrarias res. Apud Ciceronem „venenum malum“ nisi in *antiquae legis formula* (ut pro Cluentio § 148) non legitur, aliis locis semper simpliciter de vitae noxio medicamento dictum est. Sallustius igitur antiquitatis quam suae aetatis morem sequi maluit. Iam vero alia voce media Sallustius utitur, quae a Gellio XII, 9 etiam nominatur.

verbum. „Dieses Wort, Allgeier inquit, ist bei Sallust (Iug. 11, 7) in der Bedeutung: Spruch, Ausspruch, Rede (also von mehreren Worten) *alt lateinisch*“. Sallustio cum veteribus comicis hic obsoletus usus communis videtur esse: cf. Plaut. Aul. III, 6, 11, Cas. II, 5, 39, Most. I, 3, 95, Ter. Enn. I, 9, 95, Ad. 5, 8, 29.

CAPUT IV.

De nonnullis vocabulis quae e Catonis sermone repetita videntur esse.

Praeter notos locos Iug. 31, 1, 11 et Iug. 85 a Catone adscitos origin. lib. VII (pag. 27) pag. 41, 11; 33, 1 (Iordan) in his rebus Sallustium Catonem imitatum esse existimo:

augere. Auxisse (fragm. I, 51, 6) pro auctum esse vel ut Kritzius mavult intransitiva potestate positum, ut significet incrementa cepisse. Neque vero quisquam Sallustium archaismum scripsisse existimabit. Apud Catonem 8, 6 hoc verbum ea structura legitur, ut Catonem tantum imitatus esse videatur. Ceterum apud Livium quoque et Tacitum hunc reflexivum verbi huius similiumque usum infrequentem esse inter omnes constat; cf. Bentley ad Hor. Od. IV, 10, 5, Gell. XVIII, 2, qui etiam de his verbis egit, Lorenz ad Plaut. mil. gl. v. 581.

benefacere. Hoc verbo Sallustius frequenter utitur; sed iniuria exemplo ne uno quidem allato a Gerlachio *antique* dictum nominatur. Nam aliquot exempla apud Ciceronem quoque et Livium ita inveniuntur, cf. Cic. de inv. I et lexica. Multo igitur rectius fuisset, si Gerlachius Sallustium id ex Catonis sermone repetiisse dixisset, qui permulta exempla habet: cf. pag. 24, 15; 37, 21; 37, 19; eodem modo malefacere 24, 6; 37, 21 (Iordan). Cf. Deltourius pag. 194.

frustra esse. Verbo „esse“ Sallustius non raro contra vulgarem loquendi consuetudinem abiectivi loco adverbium subiungit maximeque frustra Iug. 7, 16; 61, 1; 71, 5; 73, 7 et de personis 85, 6. Quod quamquam saepius dicitur, tamen ratio eadem est, si ad personas respicitur, cf. Plaut. Amph. III, 3, 20, merc. III, 1, 30; capt. III, 1, 31, mil. V, 29, ubi habet in talibus locutionibus significatum „sich täuschen, sich irren“, cf. Iug. 93 1;

112, 2; fragm. III, 829 (ed. Kr.). Ceterum addendum est, frustra esse tantum Iug. 85, 6 a Sallustio, nunquam a Cicerone, sed saepe a Plauto de hominibus dictum esse: cf. Lorenz ad Plaut. most. v. 552. De hac igitur iunctura Allgeier ait: „Frustra esse nichtig, wirkungslos sein ist *alt-latein, oft bei Sallust* und bei späteren; in der classischen Latinität galt diese Ausdrucksweise für *obsolet*". Quae explanatio magnam partem recta et vera est; incertum autem est an propterea archaismum adhibuerit. Multo rectius iudicasse Madvigium in gramm. lat. § 209 b puto: „Auch wird in täglicher Rede und ihrer Nachahmung sum bisweilen mit einem Adiectiv verbunden z. B. recte sunt omnia, *seltener* inceptum frustra fuit". Ita aliae quoque similes locutiones quales sunt ita, recte, male, bene est (cf. Iug. 85, 7 et Dietschius ad Iug. 14, 11), quae in cotidianum sermonem abierint, Ciceronis aetate saepe inveniuntur. Praeterea autem duae sententiae sunt de hac iunctura. Una est Herzogii Sallustium hac re Graecos (*μάτην εἶναι*) imitatum esse existimantis, altera Deltourii qui hanc locutionem Catonis imitationem contra Popponem putat, cf. pag. 79 sqq. Quam late tamen usus apud Sallustium pateat Dietschius ad Iug. 14, 12, ubi omnia exempla adverbiorum et praepositionum cum verbo esse coniunctarum laudentur, satis demonstravit. Equidem Deltourio adsentiar, praesertim cum Sallustium verba antiqui Catonis multum furasse in epigrammate apud Quint. VIII. 3, 29 traditum sit. Quod ad Asperi iudicium de verbis *obviam esse* attinet, *vetuste* dictum esse dicentis, hoc iam Kritzius refutavit. „Quod non plane verum videtur, inquit ille in fragm. II, 95, cum apud optimum quemque scriptorem esse, cum adverbio iunctum reperiatur. Si quid tamen insolentiae in dictione inest, eo continetur, quod cum pleraque adverbia cum esse verbo coniuncta statum vel conditionem designent obviam vox motus notionem habet, quae paulo durius cum verbo consociatur".

De terminatione III. personae Plural. Perf. Activi.

Sallustio propria est forma *ere* pro *erunt* et raro forma in erunt desinente utitur. Recentissimis codd. collationibus a Iordano factis sequitur, ut formam in erunt omnino tantum quater certo usurpaverit: cf. Cat. 20, 10 consenuerunt, Iug. 14, 5 appetiverunt, Iug. 58, 3 quiverunt, ep. Mithr. 10 lacessiverunt. — In his autem locis terminationes erunt et ere fluctuant:

Iug. 87, 4 cognoverunt, Iug. 91, 5 cognovere,
or. Ph. 5 decreverunt, Cat. 30, 7 / Iug. 28, 2 } decrevere,
or. Ph. 6 corruperunt, Iug. 18, 10 corrupere,
Cat. 45, 3 venerunt, Iug. 13, 7 venere,
Iug. 11, 2 convenerunt, Cat. 6, 2 / 17, 3 } convenere,
Cat. 51, 9 dixerunt, Iug. 4, 2 / 95, 2 } dixere,
Iug. 38, 7 occupaverunt, Cat. 46, 2 occupavere,
Cat. 51, 38 sumpserunt, Ep. Mithr. 5 sumpsere.

Attamen omnes locos enumerare quibus forma in *ere* invenitur sane longum est. Omnes hos locos iam Dietschius ad Cat. 45, 3 diligenter et accurate collegit.

Qua de forma Cicero orat. 157 ait:

„Nec vero reprehenderim
„scripsere" alii rem
„scripserunt" esse verius sentio, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor". Itaque apud Ciceronem ipsum forma in ere desinens nusquam fere invenitur. Ita quantum sciam dumtaxat in Pis. 40 fuere; de legg. I, 2. 56 successere, ad fam. X, 19 dedere.

Quintilianus a multis ut ab Antonio Rufo formam in ere dualem habitam esse dicit. Ei opinioni Quintilianus ipse refragatus est, et Lachmannus ad Lucret. II, pag. 41 his verbis breviter dicit: „His si qua subest regula, mihi certe non apparuit". Haase in praell. Reisigii: „Cicero verwarf diese Verkürzung

nicht, doch zog er die ursprüngliche Form vor. Demnach mochte sie zu Ciceros Zeiten für das Ohr der Römer einen etwas ***poetischen (alterthümlichen) Klang haben und dies war vielleicht der Grund, weshalb sie von Sallust durchgehends angewendet wurde***". Equidem tamen hanc sententiam non demonstrari posse, et Sallustium formam in ere exeuntem, ***Catonem prorsus imitantem, qui eam summo amore usurpaverit,*** tam frequenter scripsisse censeo. Neque vero soni antiqui causa hanc ipsam formam elegisse, omnia totius antiquitatis monumenta demonstrant, quibus semper fere sine ullo discrimine duas formas promiscue scriptas invenimus. Itaque etiam Neue II, pag. 295 rectissime dixit: „Der Endung ere bedienten sich vorzüglich Dichter und Geschichtschreiber. Bei Plautus und Terenz ist erunt überwiegend, wiewohl sich bei ihnen und in den Ueberbleibseln der alten Dramatiker auch ere nicht selten findet. *In den Anführungen aus Cato ist gewöhnlich ere*". Mihi igitur opus videtur esse, hos omnes Catonis locos ex recentissima Iordani editione congerere:

accessitavere pag. 8, 5; fuere pag. 8, 16; meminere pag. 9, 11; dedere pag. 19, 9; cognovere pag. 19, 12; sustulere pag. 19, 12; decoravere pag. 19, 18; habuere pag. 20, 1; 39, 6; 59, 8, 10; decessere pag. 20, 13; rescivere pag. 21, 5; noluere pag. 23, 7; metuere pag. 23, 9; adiuvere pag. 23, 13; fecere pag. 33, 4; paravere pag. 39, 3; verberavere pag. 41, 3; videre pag. 41, 3; obsonitavere pag. 52, 14; censuere pag. 64, 6; veniere pag. 66, 6; emptitavere pag. 69, 7; redemptitavere pag. 69, 7.

Meam autem sententiam veram esse recentissimae Corssenii quoque de hac terminatione explorationes satis probare videntur; cf. I, p. 186 sqq.:

„Der Erlafs über die Bacchanalien 186 a. Chr. hat neben einander censuere und consuluerunt. Diese im Namen von 2 römischen Consuln ausgefertigte Urkunde beweist also, dafs in dieser Zeit neben der vollen Form der 3. Pers. auf erunt die abgestumpfte auf ere schon in der Sprache der Gebildeten gebräuchlich war. Diese abgestumpften Formen finden sich nicht selten in Inschriften seit dem Zeitalter der Gracchen bis zum Ende der Republik. Viel häufiger sind aber in den Inschriften dieses Zeitalters die vollen auf nt auslautenden Formen der 3. Pers. Plur. Perf.

Bei diesem Ueberwiegen der unversehrteren volleren Form ist nun insbesondere zu beachten, dafs die römischen Gesetzesurkunden von dem Zeitalter der Gracchen bis Caesars Zeit nur diese Form auf erunt aufweisen, niemals jene abgestumpften Formen auf ere. Daraus folgt, dafs jene volleren Formen damals der Sprache der gebildeten Hauptstädter und dem Schriftgebrauch der Prosa angehörten. Die abgestumpften hingegen mehr der Volkssprache, daher auch den Bühnendichtern und den Dichtern überhaupt geläufig waren, die je nach Bedürfnifs des Metrums zwischen beiden Formen wählten. ***Unter den Prosaikern lieben Cato, Sallust und später Fronto die volksthümlichen Formen auf ere, während Cicero und Caesar vorwiegend*** die Form auf erunt der Römischen Gesetzesurkunden gebrauchen".

Quod ad huius terminationis formationem attinet, Corssenius II, pag. 257 disserit: „Nachdem schon im Altlateinischen auslautendes nt der 3. Person Plur. Perf. vielfach geschwunden war, blieb von der Endung ont derselben im Auslaut nur o übrig. Indem dieses o sich dann zu dem für den Auslaut der Wortformen bequemsten Laut zu e abschwächte, entstanden frühzeitig jene auf ere ausgehenden Formen der 3. Pers. Plur. Perf."

Quibus omnibus expositis unum quemque mihi concessurum esse existimo, Sallustium in hac breviore forma adhibenda Catonem imitatum esse. Haud scio an postea Tacitus studio brevitatis et Sallustii imitandi commotus ab auctore nostro eam mutuatus sit.

VITA.

Carolus Ioannes Ludovicus Paulus Schultze natus sum Berolini pridie Kal. Dec. a. h. s. XLIII a Ludovico patre et Wilhelmina matre, gentis Sumpleckianae prole. Fidei evangelicae addictus sum. Parentes mei, quos adhuc vivere ex intimo animo laetor et quam diutissime vivos servatum iri amore dei ac beneficentia confisus spero, me admodum puerum litterarum rudimentis imbuendum in disciplinam scholae privatae tradiderunt. Primis autem litterarum elementis in schola Hermanni satis instructus inde ad gymnasium Berolinense missus cuius a directore Bellermannus in ultimum discipulorum ordinem receptus sum. Tum vero cum parentes domicilium mutassent, adductus sum ad gymnasium Friderico-Werderanum, quod Bonnellio moderatore floret, viro praestantissimo carissimoque mihi praeceptore, cuius insignem erga me benevolentiam vix laudibus attingere possum. Ubi magistrorum disciplinis usus sum Iungk, Salomon, Richter, Bertram, Wolff, Zimmermann, quos omnes summa curae operaeque in me collatae gratia prosequar neque umquam integro amore amplecti desinam.

Undecim fere annis post quam ad gymnasium transgressus sum, maturitatis testimonio anno MLCCCLXVI dimissus sum, quo me ad liberalium artium studia idoneum satisque paratum ostenderem. Ac vero cum iam diu is meus animus fuisset, ut ad studia philologica me conferrem, in civium academicorum Berolinensium relatus, quo tempore Braun rector magnificus regiminis academici fasces tenuit, inter philosophiae et philologiae studiosos me recipiendum curavit. Per quattuor annos in philologicis, philosophicis, historicis studiis operam consumpsi. Interfui scholis horum virorum doctissimorum: Haupt, Kirchhoff, Mommsen, Bonitz, Curtius, Iaffé, Hübner, v. Ranke, Droysen, Hassel, Trendelenburg, Steinthal, quibus viris bene de me meritis ex animi mei sententia gratias ago.

THESES.

I.

Librorum scripturam in Soph. Electrae v. 162:

Διὸς εὔφρονι
βήματι μολόντα τάνδε γᾶν Ὀρέσταν

intolerabili vitio laborare et cum Hauptio „ποδὸς“ εὔφρονι *βήματι* etc. scribendum esse arbitror.

II.

Meineckius in Horatii epist. I, 1 v. 60 et 61:

Hic murus aeneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa

iniuria delevit.

III.

Antiquarum artium maiorem quam fieri solet rationem in superioribus gymnasii ordinibus habendam esse censeo.

BEROLINI, TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.
Marienstr. 10.